Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de .
Das PDF wurde erstellt am: 06.06.2024, 07:57 Uhr.

Scrutinium Profligatæ Ex Ecclesia Hæretificationis, Ut vocant, Indifferentistis hodiernis oppositum

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, 1711

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853858293

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU theol. Sept.-Oct.1711
Fecht, Jo.
Inhalt:3 Dissertationen
/a.1-3

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853858293/phys_0001
DFG

Inhalt: 3 Bll.

SCRUTINIUM
PROFLIGATÆ EX ECCLESIA
HÆRETIFICA-TIONIS,

54

Universitäts-Bibliothek Rostock

Ut vocant,

Indifferentiſtis hodiernis oppoſitum.

Quod

CONSENTIENTE REV. FACULTATE THEOLOGICA,

PRÆSIDE

JOANNE FECHTIO, D.

P. P. CONSIST. SER. DUC. CONSILIAR. ET DISTR. ROST. SUPERINTENDENTE, FACULT. TH. SEN. ET NUNC DECANO.

In auditorio Theologorum majori,

Ad publicam eruditorum ventilationem exponit

FRIDERICUS ANDREÆ,

SEDINO - POMERANUS.

Ad diem XXVI. Septembr. MDCCXI.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliſſimi Senatus Typographi.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853858293/phys_0005
DFG

INCLUTÆ SEDINENSIUM REIPUBL.
CONSCRIPTIS PATRIÆ PATRIBUS,

VIRIS

MAGNIFICIS, GENEROSIS, STRENUIS, PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS pariter atq; SPECTATISSIMIS,

DNO. CONSILIARIO, PROVINCIALI,

DNIS. CONSULIBUS, DNO. SYNDICO, DNIS. SENATORIBUS, DNISQ; SECRETARIIS,

Patriæ Patribus Proceribus Præſidiis Fidiſſimis feliciſſimis publicæ ſalutis Servatoribus,

Mæcenatibus, Patronis atque Fautoribus ſuis omni obſervantiæ cultu æternum proſequendis,

Primitias has Academicas, veluti Pietatis atqve Reverentiæ monumentum perpetuum,
ſacras eſſe voluit

AMPLISSIMORUM NOMINUM
ILLORUM

Perpetuus Cultor,
FRIDERICUS ANDREÆ,
Sedinenſis.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853858293/phys_0006
DFG

SCRUTINII
PROFLIGATÆ EX ECCLESIA HÆRETIFICATIONIS,
ut vocant,
PRÆFATIO.

§. I.



Ndifferens religio generatim est, qvæ docet, in qvalibet Christianorum secta salutem impetrari posse, dummodo pietati erga DEUM & charitati erga proximum studeas. Qvamqvam enim juxta eandem & generalis qvædam de DEO & de Christo, humani generis redemptore, notitia reqviratur, siqve aliæ ex verbo DEI de rebus sacris notitiæ, eæqve veræ & Scripturæ conformes, accedant, facilius hominis Christiani vita ad praxin DEO placentem dirigi, perqve eam salutem homo adipisci possit, id tamen ad salutem necessarium non esse, multò minus ad particularem qvarumlibet doctrinarum sacrarum vel notitiam vel confessionem adstringi qvemqvam debere, sed universa ista liberrimo Spiritus ductui, qvæ UNCTIO Scripturæ vocetur, in solidum relinqvenda esse, Indifferentismus dictitat. In Indifferentismo verò intellectui repræsentando vel generalia considerari possunt, vel specialia. Illa qvidem versantur circa variam ejusdem denominationem, nec minus circa varias illius species & sectas; (qvamqvam enim nihil magis sectis, seu sectario, ut vocant, malo infensum

sit, qvam Indifferentismus, Indifferentismus tamen ipse & verissima secta est & in varias sectas discissus:) itemqve circa originem ejus ex Pietismo, tum historicam, tum realem, circaqve causas, fata & accidentia. Specialia considerantur in partibus ejus quasi essentialibus, seu criteriis, ex quibus & constat & cognoscitur. Cum non aliunde majore vel certitudine vel infallibilitate res qvælibet qvam ex causis, qvæ eandem ingrediuntur, cognoscatur, idqve juxta vulgare illud: scire est rem per causas cognoscere, ut de scopo nostro lectorem rectius instruere qveamus, præcipua Indifferentismi criteria brevi delineatione repræsentaturi sumus, uberiorem illorum descriptionem ad singulorum considerationem rejicientes.

§. II. Primum criterium *summa* est *& illimitata in externis Ecclesiæ libertas.* Qva juxta Indifferentistas veri Christiani in N. T. non sunt ullâ lege adstricti ad quemlibet actum religionis externum, sive ad aliquam religionis confessionem, sive ad auditum verbi externum, sive ad Sacramentorum usurpationem, sive ad festorum quorumcunq; celebrationem, sive ad quascunque Ecclesiæ ordinationes alias. Quia nemo Christianorum, qui sangvine Christi liberi facti sunt, se salvâ salute suâ jugo egenorum elementorum & traditionum humanarum denuò subdere potest, nisi Christum velit amittere & ex gratiâ excidere. Eo solo casu excepto, quo aliquando, ad reducendos in libertatem alios, suppositio fundamento radicatæ regenerationis, qvis aliorum servus fieri & externis istis, ut in libertatem eosdem asserere possit, operam dare potest. Qvo casu non tam externa agit, quam agere videtur. Fundamentum hujus criterii est, qvia Christianismus merè in internis consistit. Magno fervore hæc adstruit *Arnoldus* in ingenuâ confessione de abdicato externo Professionis officio; firmatqve pluribus rationibus in Figuræ ministri spiritualis

Appen-

Appendice; deniqve omnium clarissime in Luthero ante Lutheranismum, cujus singula lemmata in aliis *Arnoldi* scriptis leguntur, quod & editor in præfatione testatur. Epilogum verò Historiæ suæ his verbis concludit: Man lasse es nur auff derer Verantwortung vor GOtt und auff ihren eigenen Schaden ankommen / welche mit dem verderblichen Hauffen der offenbahren Gottlosen und Heuchler an dem gemeinen Kirchen-Wesen / (cultu sacro externo) an ihrem Essen und Trincken / (ita honoris causâ Sacramentum Evchariſtiæ appellat) und anderen Ubungen keinen Theil haben können. Finden sie kein besseres Mahl / keine bessere Predigt oder Tauff / innwendig in sich selbst / so seye es ihr eigener Schade. Geniessen sie aber würcklich etwas bessers / wie sie sagen und zeugen / so hat wohl jedermann hohe Ursach ihnen nachzufolgen und mit dem äusseren Menschen-Wercke sich von dem innern wahren Wesen und der rechten Nahrung des Geistes nicht länger auff- und abzuhalten. Jam qvid indifferentismus aliud est, qvam nulli religionis actui externo adstringi & liberrimè sese ad omnia singulaqve credenda faciendaqve habere, ut si vel ad unum te obliges, libertatem prodas, merito tibi Christi partam?

§. III. Secundum Indifferentismi criterium est *elevata voluntatis supra intellectum bonitas.* Dum nempe contenditur, parum situm esse in intellectu, qvam ille de DEO rebusque Divinis notitiam habeat, qvæ vix uno alteroqve possit absolvi, utpote DEum esse Patrem nostrum, qvi Christum miserit, voluntatem nostram, qvid faciendum nobis sit, ut salutem consequamur, & informantem & permoventem, proram autem puppimq; veri Christianismi in voluntatis emendatione, ejusqve ad DEUM

& præscriptas â Christo leges inclinatione, qvasi unice consistere. Hanc Indifferentismi Helenam ex disciplina Thomasiana ante alios omnes sollicite pinxit & exornavit *Enno Rud. Brenneysenius*, JCtus, in Scripto *D. Stolzio* opposito, qvi sententiæ suæ summam his verbis exponit: **Wir finden ja nirgend in denen Schrifften / daß Christus und die Apostel an dem Verstand ihrer Zuhörer gekünstelt hätten / denselben mit gewissen und distincten Concepten von dem Reich GOttes zu erfüllen / sondern ihr gantzes Wesen ging dahin / wie sie den Willen ihrer Zuhörer möchten zur wahren Buß und Erkäntniß ihres tieffen Elendes / darinnen sie von Natur stacken / lencken und führen. Und kan ich mit Freudigkeit hierinnen mich auff alle Schrifften des alten und neuen Testaments beruffen / daß man in allen Reden unsers Heilandes und seiner Apostel so wenig als anderswo von keiner anderen** Methoden **die geringste Spuhr findet.** Majori longè candore & confidentia notitiam intellectus omnem, excepta generalissima illa, de qva paulo ante dictum, ex Christianismo proscribit *Ericus Fridlibius*. Qvid verò Indifferentismus aliud est, qvam libertas, præter generalissima Christianismi capita, in intellectu sentiendi & credendi, qvicqvid velis, dummodo, qvicqvid credideris, ad vitæ Christianæ emendationem transferas?

§. IV. Tertium Indifferentismi criterium est *infestum sectarum omnium odium*. Qvod non ita intelligendum est, ac si Indifferentismus omnes sectas, â Lutherana veritate deviantes, odio proseqveretur, sed ut ipsam qvoq; Lutheranam religionem eo ipso sub sectarum nomine comprehendat, qvia peculiare doctrinæ genus seqvatur, cæterasq; sectas omnes condemnet. Qvâ de re *Arnoldus* in Epilogo totius operis: **Es würd aus dieser gantzen Histori offenbar genug seyn / wie unter so gar vielen und grossen Hauffen / darunter**

darunter sich ein jeder die wahre Kirche nennet / keiner gefunden werde / zu welchem sich ein Gottsuchendes Gemüht mit ungezweiffelten Vertrauen und sicherer persvasion einer Unbetrieglichkeit / ohne die geringste Beysorg eines Schadens / Auffenthalts oder Hinderniß allein gesellen / halten und bey ihnen biß zum höchsten Grad des Alters JEsu Christi verharren könte. Ex qvo ipso seqvitur, adeo ab omni sectario malo abhorrendum esse, ut ne qvidem salva conscientia & sine præsentissimo periculi animæ suæ metu sectæ ipsi Arnoldinæ, qvæ tamen ex omnibus sectis, qvod in singulis optimum est, elegit, calculum suum addere possit. De Antonia Burignonia scribit, §. XIX. Als ihr von GOtt angezeiget wurde / daß man die Menschen nicht nach der außwendigen Bekäntniß zu dieser oder jener Secte, sondern nach der Liebe / die sie zu GOtt und ewig bleibenden Dingen hätten / schätzen müste / hat sie hernach keinem Theil beygepflichtet / sondern die Frommen allenthalben geliebet. Tale sectarum odium in aliis qvoqve dilaudat, in Aug. Fuhrmanno, Paulo Felgenhauero, Cornherto, Campanella, Petro Moritio, Petro Poireto, Jacobo Böhmio. Summatim alibi profitetur: Ich habe jederzeit von Natur / geschweige / nach der Gnade und dem klaren Wort Gottes einen Abscheu vor dem Sectirischen Wesen gehabt / bin auch / wie ich öffentlich bekandt / von Kindheit an durch GOttes Geist gezogen worden. Es wäre Zeit / daß man auffhörete Secten und Trennung zumachen / allerseits aber Christo / dem einigen Meister / fein allein in der praxi und lebendigen Erkenntnüß anhienge / so wurde keine partie über die andere so viele und zwar offt rechtmäßige Klagen zuführen haben. Qvid vero magis indifferens est, qvam ad nullam vel religionem vel sectam, cujus doctrinam profitearis, adstringi, sed uni Christo, tuo judicio in verbo suo intellecto, per nudam virtutum praxin adhærere?

§. V. Qvartum Indifferentiſmi criterium eſt, formarum, qvas vocant, credendi, id eſt, Symbolorum Symbolicorumque librorum ad orcum relegatio. Integro fuſiſſimoque capite Hiſtoriæ Seculi XVI. in id genus credendi formas, obligationemque ad easdem, incredibili acerbitate invehitur *Arnoldus*, neque majore ſtudio & contentione quicquam unquam egiſſe videtur, quam ut hunc murum, religioni noſtræ circundatum, dejiceret atqve proſterneret. Nec vero per credendi formas tantum Symbola librosque Symbolicos, e quibus omnibus Concordiæ Formula ſudes ipſi eſt in oculis, ſed qvaslibet etiam alias Chriſtianæ doctrinæ Hypotypoſes intelligit, quales ſunt Catecheſes, Theologiæ compendia, Loci Theologici, Syſtemata, Synopſes, & ut ſummatim dicam, quicquid ordinem & complexum quendam doctrinarum Theologicarum in ſe complectitur. Ante omnia vero reliqua, ea doctrinæ cœleſtis Syſtemata, qvæ non tantum ordinatam qvandam credendorum diſpoſitionem, ſed ſingulorum fidei articulorum immotam ex Divino verbo probationem, & errorum iisdem oppoſitorum, etiam cum anathematis, qvi aliter docuerit, denunciatione, rejectionem, continet, tanta averſatione proſequitur, ut ne quidem voces ipſas audire ſuſtineat. Unde in ingenti editorum a ſe librorum numero ne unus quidem comparet, qui typum in ſe qvendam contineret credendorum. Econtra in libro, in qvo Theologiæ Myſticæ hiſtoriam & myſteria recenſet, horum ipſorum inſtitutum, qvi nullum unquam connexum per fidei articulos Theologiæ compendium ediderint, myſteriorum, ad praxin vitæ Chriſtianæ & unionis cum DEO applicatorum conſideratione contenti, unice dilaudat. In Epilogo vero Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cujus totum argumentum nihil aliud eſt qvam ſolennis Indifferentiſmi proclamatio, ita concludit: Weil nun dieſes alles unläug-

bahr und gewiß ist / so folget nohtwendig darauß / daß zwar nach Petri Bekäntnüß unter allen solchen Hauffen alle diejenige GOtt angenehm seyn / welche Ihn fürchten und recht thun und er also überall seinen verborgenen Saamen außstreye / hege und bewahre. Daß es aber auch keinem sonst redtlichen Gemüth zu verdencken seye / wann es seine Freude sein läßt / sich zu GOtt allein zuhalten / dem einigen Hirten und Meister Christo JEsu bloß zu folgen und sich nach keines Menschen Nahmen oder Auffsatz und GEMACHTEN FORM zu nennen oder zu richten. Und dieses ist der sicherste und beste Weg derer verständigsten (des homes d' Esprit) zu allen Zeiten gewesen / wovon in dieser Histori auß den zwey letzten Seculis so viel bedenckliche Exempel zufinden seyn; (Theophrasti Paracelsi, Casp. Svencfeldii, Thomæ Münzeri, Davidis Joris, Hielis, Pantel Trappens, Jo. Angeli Werdenhagenii, Petri Moritii, Antoniæ Burignoniæ, Friderici Brecklingii, Christiani Hohburgii, Jacobi Böhmii, Georgii Laur. Seidenbecheri & innumerorum talium, qvorum vel integra scripta, vel eorum particulas, tanquam pretiosas Historiæ gemmas, Tomo ultimo intulit) obgleich solcher Weg denen nicht angestanden / so da gern über ihres Neben-Menschen Glauben Herren zu sein suchen. Qvid vero Indifferentismus aliud est, qvam non teneri ad quamcunque fidei formam, & summam credendi sentiendique habere licentiam?

§. VI. Qvintum Indifferentismi criterium est *hæreseos omnis, qvæ in credendis consistat, ex Ecclesia exclusio.* Duobus in locis mentem suam *Arnoldus* de Hæresi & hæreticis exponit, libro nempe IIX. der Abbildung, cap. XXI. toto & Parte I. H. E. H. Sec. I. c. 3. Qvibus addendæ sunt die allgemeine Anmerckungen à p. 12. ad 28. Cum Effigiatio primorum Christianorum prodiisset anno 1696. seqventi statim anno 1697. Disputationem suam: *An Hæresis sit crimen?*

men? in publicum edidit *D. Christianus Thomasius*, in qva, qvæ *Arnoldus* intricatius proposuerat, ille clarissimè expressit. Nempe hæresin non consistere in negatione alicujus doctrinæ divinitus revelatæ, sed in schismate & separatione à reliqvo Ecclesiæ corpore, esseqve plane idem cum eo, qvod nos vulgo Schisma, Sectam, Separatismum appellemus. Ut adeo hæresis non opponatur sententiis & veritatibus mentis, sed amori & charitati Christianæ, in voluntate sedem suam habenti, adeoqve hominem damnet, non qvia errorem aliqvem animo & intellectui insinuet, sed qvia vinculum charitatis Christianæ solvat & inimicum atqve hostilem animum erga proximum gerat. Qvod clarissime ex iis patescit, qvæ circa loca Biblica, de hæresi agentia, in hujus argumenti tractatione ex *Arnoldo* adferentur. Qvid vero Indifferentismus aliud est, qvam nullam religionem pro hæretica, nullam doctrinam pro damnabili reputare, dummodo impietatem vel non doceat, vel non habeat comitem.

§. VII. Sextum Indifferentismi criterium est *credendi nonnisi generalissima Christianismi principia necessitas*. Non est ullibi expressum ab *Arnoldo*, qvænam scitu creditu ad salutem omnibus hominibus sint necessaria, qvia talia nulla agnovit. Is tamẽ, qvi sincero magis candore, qvam reliqvi omnes, Indifferentistarum religionem repræsentavit, *Fridlibii* nomen (credo qvia pacem cum DEO simul Deiqve hostibus amabat) sibi assumens, ita ea de re differit: man hält davor / daß ordentlicher Weise derjenige / welcher der Seeligkeit sich dermahleins getrösten wil / auch zu der Christlichen Religion sich bekennen müsse / wiewohl nicht eben zu einer gewissen Secte und ihren Gehirn Formeln / sondern nur daß er wisse / daß Christus der Heyland der Welt seye / umb welches willen GOtt denen Sündern nicht allein die Sünde vergeben / sondern auch Krafft darreichen

reichen wolle / ins künfftig ein heiliges und unsträffliches Leben zuführen. Reqviritur igitur juxta illos notitia, sed generalis & indeterminata, ut sub ea omnium sectarum Christiani latere possint, cæteraqve omnia liberrimæ sint opinationis. Et qvamqvam non negent, veritatem etiam in mysteriorum determinatis circumstantiis inqviri posse, negant tamen, veritatis hujus vel affirmationem vel negationem, aut obesse saluti, aut prodesse ad salutem, dummodo homo vitam ducat, Divinæ voluntati convenientem. Qvalem religionem & cætera criteria necessario reqvirunt. Si enim nulla est in credendis hæresis, si nulla ad qvamcunqve fidei confessionem obligatio, si nullum sectarum discrimen, dummodo pietati studeatur, ultro seqvitur ita generalem esse credendi necessitatem, ut sub eadem omnes Christianorum religiones sine discrimine salutis latere possint. Hoc autem qvid aliud est qvam Indifferentismus Christianus?

§. IIX. Septimum Indifferentismi criterium est necessaria à qvocunqve cœtu externo, summam credendi, externisqve utendi, libertatem haud profitente, separatio. Si non semper qvoad locum, saltem qvoad animum. Hujus Separatismi, qvi & egressio est ex Babel, commendationem & necessitatem in vero Christianismo defendendam cumprimis in se suscepit *Arnoldus* libello, cui titulum præscripsit: Offenhertzige Bekändtniß / welche ohnlängsten bey geschehener Verlassung eines Academischen Amptes abgeleget worden / Anno MDCXCIX. In qvo rationem reddit: Warum er die geradeste und gesegnetste / obwohl allerschwereste Lebens-Art / oder vielmehr Todes-Ubung / erwehlen müssen / da man mit Hindansetzung aller zeitlichen Dinge in einem abgeschiedenen Leben sich auff den Eintritt in die Ewigkeit vor GOtt bereiten lässet / welchen Weg die Asceten und andere wahre Christen gelauffen haben.

ben. Idqve non aliam ob causam, als daß gleichwie auff *Universitäten* die menschliche Spitzfindigkeit/ Welt-Weißheit/ Schlangen-List/ Sophisterey/ das alte Schul-Gezäncke/ Gewissens-Zwang und Verkehren/ Ungewißheit/ Disputiren/ Betrug/ Lehr-Geschwätz und lauter ungöttliches Leben/ Ehrsucht/ Ruhmräthigkeit/ Sectirische Trennungen/ falsche berühmte Künste; also in der Kirchen/ Formen zuwissen/ Meinungen/ Sitten-Lehren/ Aphorismi, Verdrähungen/ Vernunfft-Schlüsse/ Ansehen der Person/ Pabstäntzende Erhebung der Prediger über alles/ daß GOtt und Gottesdienst heisset; sonderlich bey dem Heil. Abendmahl unartliche Gräuel/ Kleider-Pracht/ Præcedentz-Streit/ Heucheley und Sicherheit/ ungescheut getrieben werden. Wodurch gewiß fromme Hertzen nicht anders können/ als durch würcklich Enthaltung oder Entziehung dieser Gräuel zustraffen und sich frembder Sünden nicht theilhafftig zu machen. Ad hunc Separatismum collimant conventicula privata, honestiore vocabulo Collegia vel Biblica vel pietatis dicta, in qvibus majore cum libertate & interiore cum Christo conversatione, qvam in externo corruptissimo cœtu, DEO servire licet. **Alles ist in der Lutherischen Kirchen Christo und seiner Niedrigkeit/ Liebe und Einfalt/ ja dem lebendigen Glauben und gantzen Weg des Heils grad entgegen.** Die kurtze Zeit muß auff unnütze und offt schädliche Verrichtungen gewendet und denen eitelen Kräfften der Welt und ihren Elementen gewidmet werden. Hingegen muß man der stetigen Gemeinschafft im Glauben mit dem HErren JEsu/ durch Wachen und Beten und des genauen vertraulichen Umbgangs mit dem Heyland ermanglen. Qvid verò Indifferentismus

simus aliud est quam secessio ab omni cultu Ecclesiæ externo, in qvacunqve religione ille exerceatur, & introcessio ad vocationem internam, welche GOTT in dem Hertzen unbeweglich versiegelt / ut juxta eandem solam ambuletur; gesetzt auch / daß alle weltliche menschliche Ordnungen / Vocationes, Exempel, Vernunfft und Natur dagegen wären / oder damit einstimmeten. Niemand kan dieser höchsten Majestät ihre alles übertreffende Rechte / Vorsätze / Befehl und Führungen disputiren / oder dem Höchsten drein reden und fragē: was machestu mit dieser oder jener Creatur?

§. IX. Potest his criteriis addi octavum ultimumqve: *capitale adversus Lutheranos, doctrinarum Divinitus revelatarum serios defensores, odium.* Qvamqvam enim Indifferentistæ omnes reliqvarum sectarum propugnatores acerbo odio prosequantur, in nullam tamen religionem infensam magis inimicitiam, qvam in Lutheranam exercent, cujus doctores, si vel nomen tantum eorum audiunt, contumeliosissimè insectantur & qvotqvot excogitari possunt, maledictis configunt. Cujus rei causa ex veteri diverbio arcessenda est: apostata osor sui ordinis. Sunt enim hodierni Indifferentistæ, qvod antea in nostra Ecclesia inauditum fuerat, nomine Lutherani, qvippe in Lutherana religione educati & externo Lutheranorum cœtui, immò ministerio, ne periculum ipsis ex non tolerata in Imperio religione immineat, sese adjungunt. Qvorum tamen sacra intra animum suum execrantur. Præterea nulla religio Syncretismo, (est autem Indifferentismus Syncretismus universalis) infesta magis est ac Lutherana, purior illa & sincerior. Hinc irreconciliabilis inter Lutheranos, genuinos illos & non cerussatos, & Indifferentistas inimicitia. Vix autem in qvoqvam virulentia ista magis sese unqvam exeruit, qvam in *Godofredo Arnoldo*, qvi ut infinita alia silentio præteream, peculiare caput, qvod circa nullam aliam religionem

fecit, exagitando criminandoqve Lutheranorum ministerio destinavit, Parte II. H.E.H. c. XV. In qvo hæc comparent Lutheranorum sacerdotum elogia: Der Prediger Nachläßigkeit / Sicherheit / Faulheit / Unwissenheit in H. Schrifft / Verachtung der Bibel / zeitliche Sorgen / Blindheit und Verstockung / Schmeicheley / Welt-Liebe / Kätzermacherey / Viehische Dummheit / Heucheley / Furchtsamkeit / redenischer Tand / Hochmuth / eigensinnige Herrschsucht / angemaßte Unbetrieglichkeit / Erhebung über andere / Geldgeitz / Antrieb zum Wucher / Roßtausch / Ehrgeitz / Æmulation, affectirte Kleidung / lange Haar / weisse Chor-Röcke / unehrliche Handthierung / Wein- und Bierschencken / Schmausen und Gastiren / Fressen und Sauffen / Ehebruch und Hurerey / ruhmrähtigkeit im Predigen / Unterdruckung der andern unter dem Namen der Orthodoxie, ja des Heil. Geistes selber / Ansehen der Person / Abergläubische Uberhebung des Catheders Lutheri / Päbstischer Stuhl / subtiles Pabstuhm / Anti-Christenthum / Schmorotzen / Tantzen / Spielen / Epicurische Worte / unzüchtige Reden / Hochzeit-Possen / Unterdrückung der Layen / Simonie, Monopolium, unmäßige Licentz, Entziehung von der Obrigkeit / Verwerffung deroselben und Außschliessung von Kirchen-Sachen / Rachgier / Blutdürstigkeit / Schlägereyen und Mordthaten / Atheisterey / Erregung des Pöbels / öffentliche Aergerniß / schreckliche Bey-Nahmen / und andere Gräuel der Evangelischen Pfaffen. Longe plura sunt, qvæ iisdem objectat, ut miraculi instar sit, tot flagitiorum nomina excogitari, nedum Lutheranos doctores, iisdem obnoxios, reperiri potuisse. Qvicqvid vero fanaticorum, Epicuræorum, Atheorum unqvam fuit, iis vel patrocinium præstat, vel culpam seqvius ab iis actorum, scriptorumqve in ipsos Lutheranos, qvorum perversis sceleratisqve moribus ad tantam impietatem adacti fuerint, devolvit.

§. X. Non

§. X. Non existimo, aut genuinam Indifferentismi faciem clarius repræsentari, aut nervos ejus efficacius incidi posse, qvam si horum criteriorum unum post alterum accuratiori examine lustravero & infernalem hanc bestiam, extremo hoc mundi tempore Ecclesiæ DEI insidiantem, Divini verbi pedo ex ovili Christi, qvantum DEI auxilio fieri potest, exterminavero. Qvod enim jam ante aliqvot annos in Prælectionibus publicis universim facere aggressus sum, si nunc, instituta justa revisione, per partes, qvoadusqve per vitam meam, in extremis consistentem, fieri poterit, in publicum emittam, occasionem mihi disputantium industria præbente, cum ob innumera negotia huic uni argumento vacare neqveam, in sinisteriorem id partem acceptum haud iri, prorsus confido. Qva tamen in re alium non servabo ordinem, qvam qvem mihi disputantium desiderium, hanc illamve præ alia materiam eligentium, suggeret, cum parum in eo sit situm, qvo ordine isthæc criteria examinentur. Cumq; nunc illud Indifferentismi criterium, qvod ex Ecclesia omnem hæresin, in intellectus notitia consistentem, excludit, considerandum nobis obveniat, id simul prænotandum nobis est, argumenti hujus considerationem non in universam de Hæresi disqvisitionem, qvæ nimis prolixa foret tractatio, diffusum iri, sed ea nos duntaxat, qvæ ab *Arnoldo* allata hic sunt, in examen vocaturos esse. Cum enim ille primus omnium eorum, qvi in nostra qvidem Ecclesia, contra omnium seculorum, omniumqve Christianorum sensum, Hæresin in intellectus operatione non dari propugnarunt, omnes in id vires, id ut verosimile redderet, contulerit, si ejus rationibus inciderimus nervos, cæterorum simul nos objectionibus satisfeciisse, omnibus jure meritoq; existimabimur. Qvare cum de scopo tractationis nostræ sufficienter dixerimus, ad rem nunc ipsam, Divino freti auxilio, sine ulteriori ambage progredimur.

TRACTATIO IPSA
DE HÆRETIFICATIONE.
§. I.



Arbara vox est *Hæretificatio*, ut omnes norunt. Excogitata ab Indifferentistis, iisqve ex qvibus hi enati sunt, qviqve hac in re fideles ipsis suppetias ferunt, Syncretistis & Pietistis. In qvorum scriptis nihil solemnius est, qvam eos, qvi veritatem dogmatum Divinitus revelatorum ἀποτόμως defendunt & errores iisdem oppositos Ecclesiæ intolerabiles judicant, *hæretificum* nomine infamare. Qvod convitium adeo vulgare est, ut nonnunqvam omnes scriptorum lineas impleat. Qvamqvam vero ultro profiteamur, non deesse & in nostramet Ecclesia, ut omnium rerum & excessus sunt & defectus, immoderatos Zelotas, qvi qvemlibet circa res sacras dissensum, anteqvam res maturiore judicio examinetur, hæreseos crimine prostituant, cui mori *hæretificationis* maculam inuri non repugnamus, oculis tamen careat necesse est, qvi ab Indifferentistis hæreseos imputationem simpliciter omnem ê Christiana ecclesia proscribi, â Syncretistis vero & iis, qvi â pietatis promovendæ ardore laudari affectant, eos errores, qvi ipsum fidei fundamentum manifeste destruunt, ab hæreseos nota eximi haud pervideat. Est igitur hæretificatio Indifferentistis nihil aliud qvam injusta hæreseos objectio, cum aut hæresis alteri impingitur, qvi neqvidem errat, sed veritatem Divinam defendit, aut qvi errat qvidem sed innocue errat, cum error in se nullus sit damnabilis, nisi qvi vel impietatem doceat, vel cum impietate in ipsa vita sit conjunctus.

§. II. Colorem sibi nova hæc & in ecclesia anteriori tempore

tempore nunqvam audita ſententia obducit, per id, qvod αἱρέσεως vox ipſo ſignificationis ſuæ perpetuo uſu non ſententiam mente conceptam, præqve ea, qvæ ordinarie obtinet, electam, (a Græca origine αἱρέομαι, *eligo*) ſed ſeparationem & ſchiſma, ob novam ſententiam factum ſignificare videatur, ut adeo Hæreſis iis potius jure meritoqve objectetur, qvi dum novam aqve conſveta recedentem doctrinam amplectuntur, ob eandem a reliqvo corpore ſeceſſionem faciunt, cui tamen conjuncti manere, non obſtante nova ſententia, debebant. Qvo pacto Hæretici dicantur non qvia diverſam ab aliis ſententiam ſeqvantur, qvod omnino ſit innocuum, ſed qvia hanc ſententiam aliis obtrudere, ut idem ſecum ſentiant, connitantur, & ſi in opinione intellectus idem ſecum ſentire recuſent, charitatis vinculum rumpant, ab iisqve faciant ſeceſſum. Ut adeo illi omnium maximi ſint Hæretici, qvi dum ſententias mentis ad certa ſymbola ſymbolicosqve libros exigant, à ſeſe diſſentientes e communione ſua ſeparant & ejiciunt. Qvod omnium clariſſime *D. Chr. Thomaſius*, Diſputatione ſupra memorata expreſſit. *Qvod ſi* inqvit, *hæretici ex mea ſententia metiendi ſint, verear, ut multi ex orthodoxiſſimis, ſub qvorum nomine omnes intelligo, qvi fidem ſalutarem ad formulas & ſymbola metiuntur, hæreticorum claſſi ſint adſcribendi.* Hæretici nempe ipſi ex orthodoxis, ita dictis, ſunt omnes illi, qvi veritatem libris ſymbolicis comprehenſam cum Zelo & fervore ita defendunt, ut qvicunqve ſecus ſentiunt & libertatem ſibi ſumunt aliter, ac Libri ſymbolici reqvirunt, ſentiendi, rejiciant, condemnent, inſectentur, adeoqve odium adverſus iſtos ſuum publicis ſcriptis invectivis teſtentur. Hi enim iſtos, qvi libertate illa â Chriſto juxta *D. Thomaſium* omnibus conceſſa, utuntur, â ſeſe ſeparant, â veris filiis DEI ſeſe ſejungunt, eosdem odio habent, adeoqve charitatem Chriſtianam lædunt, conſeqventer per hoc, non vero per errorem aliqvem, hæretici ſunt, §. III.

§. III. Cum *D. Thomasio* exacte convenit *Arnoldus* atqve ideo Historiam suam Hæreticam hanc ipsam ob causam scribere aggressus est, ut ostenderet, qvotqvot unqvam in antiqvitate pariter & recentiori ætate Hæretici ob intellectus errores, qvantum libet verbo Divino adversos, ab Ecclesia qvocunqve tempore condemnati fuerint, si de cœtero vitam duxerint, Christi exemplo conformem, injuste condemnatos esse, cum justi9 condemnari debuissent ob animi pervicaciam & exercitum in proximum odium atqve persecutionem ii, qvi eosdem condemnavissent. Cui novo & in Ecclesia, qvousqve illa stetit nunqvam audito instituto, ut colorem aliqvem obduceret, qvasdam observationes & qvasi præjudicia, ne novitate & singularitate oculos auresqve offenderet, in præfatione totius operis H. E. p. 12. s. lectori ad animum revocat, qvæ sine justa animadversione dimittenda nobis non sunt.

§. IV. Itaqve I. ait fateri gravissimos Theologos, daß vieles / ja das meiste bey dem Kätzermachen und Verdammen aus affecten geschehen. Qvem in finem producit testimonia Doctorum, *Dannhaueri*, *Dorschei*, *Dresseri* & *Bucholzeri*. At vero I. Cur non in mentem sibi revocat *Arnoldus*, longe plures â se ex præposteró erga Indifferentismum affectu ab hæresi absolutos esse? Et eadem conseqvendi viâ furto & adulterio omnes iis flagitiis obnoxios, absolvendos esse, qvia hæc crimina plurimis injuste fuerunt imputata. II. Testes ab *Arnoldo* producti nihil minus qvam id testantur, in qvo præjudicii sui præcipuum robur ponit, pleraqve, das meiste in imputatione hæreseon ex affectu privato ortum causamqve habuisse. *Dannhauerus*: Wir wollen eben nicht allen Polemicis scriptoribus das Wort thun / man habe niemahls zu der substantz der affecten eine und die andere sündliche Schwachheit mit einfliessen lassen. Hocne est, pleraq; ex affectu profluxisse? *Dorscheus*: Wir

Wir gestehen gern / es seye manchmahl von einem und dem andern die Kunckel solcher gestalt gezogen worden / das andere moderate und sittsame Gemüther es besser hätten wünschen mögen. Hoc ne est pleraqve in hæretificatione ex malitioso affectu acta esse? Idem *Dannhauerus*: Es sey der Religions-Streit von vielen nicht recht geführet worden / weil man nicht allein bey der Sach geblieben / sondern NB. allenthalben die Affecten mit unterlauffen lassen. Non dicit, hoc ab omnibus & ubiqve factum esse, sed a qvibusdam. Dresserus: Es ist kein hefftiger Krieg / als der Religions-Krieg. Nullum bellum vehementius qvam qvod cum Turca geritur: Ergo pleraqve, qvæ in hoc bello geruntur, ex inordinato affectu procedunt. *Bucholcerus*: Kein Krieg entstehet geschwinder und höret langsamer auff / als der Theologische. Nullum bellum diutius duravit, quam quod religionis causa gestum est: ergo nullum bellum injustius est. Vix credo, fieri posse, qvin aliqvando pudor subeat *Arnoldum* apocharum suarum, conscientiaq; ipsum sua percutiat, quam fraudulentis armis contra ecclesiam militet.

§. V. Deinde differit, multos Zelotas gloriam in eo qvæsivisse, ut alios se magis pios hæreticorum catalogo insererent, eum tantum in finem, ut depressa ipsorum existimatione Divini Zeli nomine in mundo celebrarentur. Qva in re præcipue vocalis est, allegatione *Lassenii*, *Joh. Angeli Werdenhagenii*, Politici mirum in modum Fanatici, *Scriverii*, *Schilteri*, *Brunnemanni*, *Grosgebaueri*, *Sebastiani Franckii*, qvi de se ipso fatetur, daß er einen Mißfallen habe ob allen Secten und Absonderungen / ohne die man mit der Welt Greueln und Lastern hat / daß er auch noch unter dem Pabstum / Türcken / allen Secten / Völckern und Nationen seine Brüder und Glieder des Leibes Christi zu seyn achte / qvæ verba (ex qvibus vel solis Fanaticæ avis rostrum agnoscas) cum aliis ipse allegat *Arnoldus*, Sec.

XVI. c. XXI. §. XL. qvi adeo ejusdem cum *Arnoldo* religionis est At vero nec ignorat *Arnoldus*, seipsum innumeros hæretificum & impiorum catalogo, ceu paulo ante talem longo ordine produximus, inseruisse, tantum eum in finem, ut depressa genuinorum Divinæ veritatis professorum existimatione Indifferentistica & Fanatica lues Divinæ sanctitatis nomine in mundo celebraretur. Longè perspicacior, prudentiorqve est *Arnoldus*, qvam ut simile hoc contra se, suæqve sectæ alumnos, præjudicium, eodem prorsus robore, iisdemque viribus gaudere, capere, non possit. Possentque Zelatorum, quos vocat, testimoniis integri libri repleri. Quæ vero, si totum ei præjudicium concedatur, sequela est: nonnulli immerito hæreticorum caveæ inclusi sunt, eâque de re merito conquesti sunt Theologi pariter & politici; ergo merito dubitatur de definitione hæreseos, hactenus in scholis usitata? Ergo jure ambigitur, utrum ulla detur in notitiâ intellectus hæresis? Quasi verò non vi ejusdem præjudicii, qvia multi fures injustè suspensi sunt, & in arcanis Regum Principumqve consiliis plurima Divino juri adversa consulta sunt & in effectum deducta, & in qvotidiana conversatione, emendi item vendendique commercio multa fraudulenter & iniquè agitata, merito dubitari potest, an fures sint suspendio plectendi, & secretiora Regum Principumque consilia posthac freqventanda, & rerum omnium commercia amplius exercenda!

§. VI. Tertiò causatur *Arnoldus:* **es habe die verfallene Clerisey am allermeisten und hefftigsten wider das innerliche wahre Christenthum / dessen Bekändtniß und Ubungen / mit solchem Kätzer-Namen getobet.** Qvod exemplo libri Arndiani de vero Christianismo comprobat. Tum verò è contrario: **man habe hingegen wohl die geringste und unschuldigste Meynungen / Redens-Arten und**

und Wörter zu Kätzereyen gemacht. Ex hoc verò præjudicio universum hæretificandi studium non immeritò reddi suspectum. Sed vero qvi in Arndianum libellum censuras scripserunt, loqvendi potius rationes, à fide devias, qvam interiora Christianismi exercitia castigarunt. Qvod *Poireto*, non minus furiosè in *Arndii* censorem debacchanti, regessit celeberrimus *Jægerus*, in Examine Theologiæ novæ, id æquo jure *Arnoldo* responderi potest. *Vir ille de Ecclesia DEI meritissimus & tantum non martyr, cum in libris B. Arndii qvædam deprehenderet cum Weigelii Fanaticis phrasibus & verbis consona, ex pio qvodam Zelo, ut grassanti tum Fanatismo occurreret, locutiones tales acriter perstrinxit. Non laudo excessum. Intentio tamen fuit justa & longè melior qvam Arnoldi. Cur ergo nec Arnoldus illam intentionem in charitate Christianâ tolerat? Cur ipsius cineres in tumulo turbat & lædit? Cur de anima in cœlo jam triumphante tam scabiosè loqvitur?* Man hätte mit Kätzer-Namen getobet. *Hocne mysticam illam pietatem sapit, qvæ omnem affectuum intemperiem damnat?* Qvale vero præjudicium Indifferentismi est, cum in propugnatores cœlestis veritatis, tanqvam hæretifices, & formularios & rixatores ubiqve velut inflammato atqve ignito furore invehuntur ejus defensores? Nec ideo de lana caprina digladiantur, qui de quibusdam nonnunquam vocibus & ut scholarum more loquamur, terminis contendunt, ne res ipsa, sub vocum involucro latens, in dubium revocetur. Qvod si Reges Principesque ob solam sæpe voculæ alicujus, majestati vel honori tantum ipsorum derogantis, controversiam bella potius & arma expediunt, quam ut de unica vocula cedant; cur reverentiam hanc & subjectionem non debeamus regum omnium regi & dominantium domino, ut de eo ita loquamur, quemadmodum majestati ipsius & verbo à sese revelato conveniens est, fugiamusq; in

pronunciandis de eo sermonibus vocibusque omne id, quo vel in opinionem de eo sequiorem, vel in cultum ei minus placentem deducamur? Ut enim non voluntatem tantum nostram, qua eundem colamus, DEus condidit, sed & intellectum, quo illum cognoscamus, & lingvam, qua ipsum celebremus, & denique verbum, quod nobis revelavit & injunxit, quomodo eundem colere, quidnam de eo sentire & quomodo de illo loqui debeamus: ita non uni tantum in DEI cultu attendendum est, nec una tantum animæ nostræ facultas ad honorem ipsi habendum dirigenda & disponenda est, sed omnes singulæqve. Et quemadmodum nihil in voluntate nostra esse debet, quin sese ad honorẽ Deo habendum ex tota anima, ex toto corde & ex omnibus viribus expediat: ita nec in intellectu, quin sese ad cognoscendum, & in lingva, qvin sese ad eloquendum, eo modo, qvo sese revelavit & secundum qvam revelationem unicè coli vult, Deut. IV. 2. Matth. XV. 9. ex omnibus viribus suis pariter expediat, neqve qvidqvam admittat, qvod verbo Divino sive in litera sive in sensu, sive in verbis & vocibus, qvippe quæ sensum Divinum exprimere debent, contraveniat. Id enim si admittat, DEum non colit secundum omnes vires suas, qvia non colit secundum lingvæ vires, quas DEus ipsi non minus quam voluntatis interioris vires concessit. Qvæ cum clarissima sint, frustra in vitio ponitur, in voculis, e. g ὁμοσσίας, communicationis idiomatum, positivi & privativi similiumqve, ad qvas citra dubium animum reflectit *Arnoldus*, hæresin constituere, cum præsertim non tam de vocibus, qvæ signa sunt rerum, qvam de rebus, per voces significatis, plerumque sit contentio.

§. VII. Qvartò repræsentat *Arnoldus*, qvam familiare sit clero, ob quemcunque prætextum hæreseos notam aliis inurere. Man darff nur ein Wort wieder die Cleriſey

Clerisey fahren lassen/ daß nicht in ihren Kram dienet/ so ist der Kätzer-Mantel schon fertig. Und lehren die Exempel durch alle Zeiten uud Secten / wie mancherley Griffe / Erfindungen und Arten die Kätzermeister gebraucht/ diejenige/ denen sie gern beygekommen wären/ herunter zumachen. Vor allen Dingen haben Verständige auch überhaubt angemercket und geklagt/ wie es alles unter dem Vorwand des Eyfers vor die Lehre geschehen. Qvem in finem ingens testimoniorum numerus producitur, quæ conqveruntur de protervia, de litigandi prurigine, de æmulatione Theologorum, qua ex quacunqve causa alter alterum invadere & hæreseon immanem copiam eidem improperare soleat. Confecerat citra dubium *Arnoldus*, cum ad scribendum accederet, certa sub certis titulis collectanea, quæ finem suum, qui erat, destructa & omnium ludibrio exposita recepta hactenus religionis in Rom. Imperio forma, religionem universalem, in credendi summa libertate cum sanctitatis studio conjuncta, consistentem, condere & suis coloribus exornare. Huic fini certas aptaverat hypotheses, certa principia, per quæ ad scopum tandem suum penetraret. Quæ inter & illa erat, quod cleri ambitione, dominandi cupiditate, fervore disputandi & quibuscunque à sese dissentientibus impingendi hæreses, ad unam credendi formam, intolerabili servitute, Ecclesia fuerit adstricta. Quæ itaque ad comprobanda hæc cleri vitia in scriptorum lectione invenerat, locis, ut vocamus, communibus illata ad futuros usus recondiderat. Nunc igitur eo, qvo comparent, numero Historiæ suæ, tanqvam gemmulas qvasdam, Indifferentismum ornantes, inserit, eoqꝫ finem suum prosequitur. Cur vero *Arnoldus* non pari sollicitudine & industria in indices suos ea comportavit Scriptorum, à se lectorum loca, qvæ Theologorum in conservando cœlestis doctrinæ

depoſito, tanta cura â Paulo nobis commendato, II. Tim. I. 13. ut qui vel latum ab eo unguem receſſerit, anathemate bis terque ſit feriendus, Gal. I. 8. 9. & quicunque ſalutarem doctrinam non in omnibus ſingulisque punctis conſervaverit, ſed eidem quocunque verbo contradixerit, ei os ſit obturandum, isque diſtricte ſit caſtigandus, Tit. I. 9. 11. 13. ſive id veram doctrinam non patienti ſit oportunum ſive importunum, II. Tim. IV. 2. curam, ſollicitudinem, ardorem, commendant? Cur hæc loca, quorum majorem longe numerum quam contra injuſtam αἱρεσιοποιίαν comportare ex ſacrarum rerum ſcriptoribus poterat, infami diſſimulatione ſubticuit? Cur non & his peculiare capitis punctum deſtinavit? An hoc eſt ſcriptoris â partium ſtudio alieni? Quam iniqvum, immo, qvam ſacrilegum eſt, exaggerare in imputanda hæreſi exceſſum, & infami ſilentio præterire in caſtiganda falſa doctrina defectum? Si qvidam Theologi in impingendis multiplicandisqve hæreſibus exceſſerunt modum & ideo ſub juſtam cenſuram vocandi fuerunt: alii è contra Theologi in excuſandis extenuandisqve erroribus, exqve hoc ipſo Indifferentiſmi monſtro excludendo anſam cauſamque præbentibus, non minus exceſſerunt, qui dum non tantum cenſuræ ſunt expertes, ſed eorum modeſtia ſummis laudibus extollitur, quæ hæc eſt figura ſpiritualis Evangelici Theologi? Qvid vero tota Hæretico-Eccleſiaſtica *Arnoldi* Hiſtoria aliud eſt, qvam mancherley Griff/ Erfindungen und Arten/ diejenige/ denen er gern beygekommen wäre/ herunter zumachen? Vor allen Dingen haben verſtändige auch überhaupt angemercket und geklagt/ wie es alles unter dem Vorwand des Eyffers vor die Gottſeligkeit geſchehen. Man darff nur ein Wort wider Arnoldi Indifferentiſterey fahren laſſen/ daß nicht in ſeinen Kram dienet/ und auff die Beybehaltung der reinen Lehr mit Anathema-

thematisirung der grundstürtzenden Irrthum tringen / so ist der Ketzermacher-Mantel schon fertig. An vero ovum ovo similius est, quam hoc præjudicium præjudicio Arnoldino?

§. VIII. Denique ob oculos *Arnoldus* ponit summum ex αἱρεσιοποία periculum, à Theologis passim agnitum. Quem in finem inter alios allegat ex Epistolis ad Marbachios à me editis *Sim. Sulcerum*, Theologum longe integerrimum, *Davidem* item *Chytræum*, nostratem illum, & *Cassiodorum Reinium*, Hispanum. Experientiam qvoqve testari, id genus hæretificandi libidinem, integras sæpe Ecclesias evertisse, è contra si qualiscunque sentiendi libertas integra fuisset relicta, futurum fuisse, ut hæreses sua sponte evanuissent. Miserum hoc est præjudicium. Eo ipso, qvia hæreses integras sæpe Ecclesias evertunt, tolerandæ moderatione & indulgentia nostra ne qvidem eorum principia sunt, juxta illud; principiis obsta. Si vero hæresibus ne exoriantur, mature obsistendum est, qui eorum zelus, qvi initiis eorum sese opponunt, reprehendi potest? Si huic reprehensioni vitia sese & excessus insinuent, de quibus solis Theologi, ut cæteri, ita & quibus literarum cum *Marbachiis* commercium intercessit, conqueruntur, non infans, quod Germanorum proverbio dicitur, cum balneo effundendus & cum vitio zelo adhærente zelus ipse, qui in se Divinus est, elidendus, sed iis, quibus Ecclesiæ cura incumbit, eò annitendum est, ut rejecto excessu severitati adversus hæreses, seu erores in doctrina, non minus immo magis, quam adversus impietatem, (cum pietas omnis spectrum tantum sit pietatis, nisi fundamento suo, notitia ad verbum Divinum exacta, sit imbuta) vis sua constet & exercitium prorsus imperturbatum. Qua de re fuse diximus octavo Apparatus ad Epistolas Marbachianas capite. Quod si legere placuisset

Arnoldo,

Universitäts Bibliothek Rostock https://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1853858293/phys_0029 DFG

Arnoldo, plerisque qvæ ex iisdem pro Indifferenti sua religione, ejusque fulcris, in Historia sua produxit, testimoniis nervos, antequam illa ei subnata fuerunt, incisos fuisse animadvertisset. Nec ideo, qvia nonnunquam sine graviore concussione hæreses, exoriri cœptæ, evanescunt, iis legitimis modis, inprimis elencho, Divinitus nobis mandato, Tit. I. 10. 11. resistendum non est. Quia nec seditioni & tumultui, inter cives oborto, progressus permittendus est, quia aliqvando factum est, ut vires tumultus haud sumpserit, quamquam non fuerit repressus.

§. IX. Atque hæc de Præjudiciis punctisque quæ tractationi suæ de Hæretificatione præmisit *Arnoldus*, dixisse sufficiat. Ut vero omnes illæ rationes, quibus in ductum se esse scribit *Arnoldus*, ut ad sinceram & ab omnibus affectibus vacuam Hæreseon & Hæretificationis considerationem sese accingeret, id est, ut hæreses omnes è medio tolleret, neque ullam dari hæresin, in opinionibus & conceptibus mentis, ut perpetua Ecclesiæ praxi existimatum hactenus est, consistentem, doceret atqve defenderet, nullius pretii sunt & eò unice tendunt, ut ad Indifrentem religionem viam parent & aditum aperiant; ita rationibus longe infirmioribus ipsa *Arnoldi* assertio nititur, qva probare contendit, nullam talem dari hæresin. De quo ut rectius clariusqve constet, ante omnia sententia ipsius, suismet verbis expressa, cognoscenda est.

§. X. *Arnoldus* itaque in der Abbildung Lib. IX. c. XXI. §. 1. ante omnia protestatur: ich bezeuge auffrichtig; daß ich keines Wegs einigem offenbahren Irrthum oder Abbruch der Warheit im geringsten das Wort reden wolle/ und also mich vor der ewigen wesentlichen Warheit vorsetzlich versündigen. Hoc nempe duntaxat vult, nullam se manifestam & notoriam veritatem, aut eam etiam, quæ ipsi

ipsi ad conscientiæ usque convictionem demonstrata fuerit, vel negaturum vel in aliis excusaturum esse, interea tamen vel omnes vel plerasque illas veritates, quas hæretici vulgò ita dicti in dubium revocent, ita comparatas esse simul opinatur, ut errores iisdem oppositi, si vel bono animo, ut apud plerosque omnes hæreticos factum sit, si erraverint, errentur, vel praxin Christianismi non lædant, salute neqvaqvam excludant, adeoqve pro hæresibus vulgò ita dictis haberi non debeant. Ceu ex iis constabit, qvæ postea ex ipso producturi sumus. Jam qvid protestatio prodest, quod nullam veritatem negaturus sit, cum momentum neget, qvod cuilibet veritati Divinitus revelatæ à DEO annexum est, qvam qvicunqve non credit, condemnetur, Marc. XVI. 16. à qva qvicunq; recedat & aliud Evangelium prædicet, anathema sit & maledictus, Gal. I. 8. qvam doctrinam qvicunqve non attulerit, non sit recipiendus in domum & ne qvidem salutandus, II. Joh. v. 10. deniqve omnis Scriptura, à DEO revelata, non tantum ad exhortationem & emendationem & castigationem & consolationem utilis sit, sed ad refutationem etiam errorum, eidem oppositorum, II. Tim. III. 16. 17.

§. XI. Jam ut hæreses in doctrinalibus & meris intellectus conceptibus nullas esse, ostendat, ita progreditur *Arnoldus*, §. 2. s. ut ante omnia & qvasi in antecessum atq; præparationis loco liqvidum faciat, qvæcunqve sive de hæreseos nomine apud Lexicographos, sive de naturâ & definitione hæreseos ab Ecclesiæ patribus in medium allata fuerunt, uniuersa meris dubitationibus fuisse involuta. Ut tandem confessi fuerint ipsi, vel difficile admodum esse, vel impossibile, hæreticum definire. Non minorem incertitudinem regnare apud recentiores de hæresi scriptores, dum insuper ex proprio cerebro confinxerint articulos fundamentales & non fundamentales, ut hoc terricula-

mento & glaucomate errores redderent graviores. Ex qvo nempe postea JCtus Halensis, in Disputatione: *an Hæresis sit crimen?* gesticulationes suas de fundamentalibus fidei articulis disposuit & ex tota hac materia qvendam quasi fecit ludum. Communem verò apud veteres fuisse hæreseos descriptionem, quod sit error, Scripturæ vel sensui Scripturæ adversus. Qvod si verum sit, omnes Scripturæ interpretes fore hæreticos. Neminem enim esse, quin aliquando in sensu Scripturæ eruendo erret. Si verò hæresis sit, quando à sensu Scripturæ receditur, quantæ hæreses futuræ sint: **Wann man noch drüber neue und bißher unbekandte Wörter und Redens-Arten einführet?** (Perstringit denuo Homousion, Personam, essentiam, Trinitatem, aliaque id genus) **daran sich andere stossen und woraus so unendliche Feindschafft und Zanckſucht entstehet.** (Quasi vero non ex ipsis DEI & Servatoris nostri Christi verbis Judæorum cum Christo irreconciliabiles contentiones & odium capitale fuisset exortum) **Und ist es eine genugsame Abweichung von der Schrifft/ wann man seine eigene Erfindungen/ Erklärungen/ Bekändtnissen/ Symbola und dergleichen daneben setzet/ so gar/ daß es auch vor ein gröſseres Verbrechen gehalte und schärffer gestraffet würd/ wann einer in diesen Dingen im geringsten abging/ als wann er das Wort GOttes selbsten übertråte.** Si legum Mosaicarum interpretatio, quæ Pharisæis nova videbatur, declinatio est à lege, Matth. V. tum & Divinorum dogmatum declaratio, in Libris Symbolicis facta, ejusdem declinationis erit coarguenda. Impudens est & detestabilis calumnia, quod doctrinæ, in Symbolis contentæ proprium sint hominum inventum, cujus transgressio gravius sit peccatum, severiusque puniatur, quam si ab ipso verbo Divino declinaretur. Qvomodo potest à verbo Divino declinari, si verbi Divini sensus in eo continetur?

Tandem

Tandem sententiam suam *Arnoldus*, quid hæresis sit, his verbis prodit: Und hiedurch gaben die ersten Christen zu verstehen / wie der Glaub ein so todtes und unfruchtbahres Ding seyn müste / daß keine bessere Früchte als Haß und Streit zwischen Brüdern brächte / (cur itaqve Pauli fides cum tanto certamine cum fratribus ex circumcisione consistere potuit? Imgleichen wie die heilsame Lehre nicht in gewissen Redens-Arten oder Kunst-Wörtern bestehe / (Non quidem fides ipsa, qua Christum apprehendit, in loquendi formis & technicis terminis consistit, doctrina tamen, cui innititur fides, non potest, præcipue in scholis, sine loquendi modis scholasticis, aut etiam terminis technicis, postquam hi ex communi usu quotidianorum in loquendo verborum naturam induerunt, consistere. Unde qui Principi vel certis loquendi formis, vel vocibus in schola frequentatis maledixerit, à crimine majestatis se nunquam liberabit, si dixerit, non in loqvendi formis, aut in terminis technicis, crimen læsæ majestatis consistere) noch in einem Begriff / der bloß und allein in dem natürlichen Verstand beruhe und nicht auch den Willen verändere und liebreich mache. (At ipsa doctrina fidei vera & efficacissima doctrina est, ad voluntatem nostram mutandam ex DEI intentione unicè nata factaque, etiamsi nemo hominum eidem fidem adhibeat, aut eandem in praxin deducat. Ita error in fide venenum est, animæ mortem adferre natum, id est, hæresis, etiamsi nemo hominum ea sit infectus. Qvemadmodum venenum venenum est, etsi nemo hominum illud biberit. Ita doctrina erronea hæresis & venenum est, damnatione digna; qui eandem amplectitur & disseminat, hæreticus est, propter doctrinam, venenum in sese continentem, damnatione dignus) dahero auch das Vorbild der heilsahmen Lehre nicht in blossen Worten / sondern im Geist / Krafft und Leben bestünde.

(Id quod meræ etiam doctrinæ competit, *verba, quæ loqvor*, ait Christus, sive vos, Pharisæi, eadem recipiatis ita, ut per ea voluntatem vestram emendetis, sive recipiatis quidem, sed virtuti eorum resistatis, *sunt spiritus & vita*, in sese, Joh. VI. 63.) **Auch war dieser nicht alsobald bey ihnen ein Ketzer / der etwa andere Wort in dem Außdrücke seines an sich reinen Glaubens brauchte /** (id qvod nec hodie pro hæresi reputatur & per calumniam Ecclesiæ adfingitur) **sondern wie die ersten Kern-Christen auff lauter Krafft und That gingen /** (qvæ vero virtus in animo sine antecedaneo veræ doctrinæ complexu, falsæqve condemnatione, neqve oriri in ipsis neqve existere poterat: *verba enim Christi sunt spiritus & vita* & sine vera horum verborum notitiâ Spiritus & vita operari non possunt) **also schrieben sie auch hierinnen keine Glaubens-Bekändtnissen oder** Symbola **einander vor / an dero Wort sie sich genau gebunden hätten /** (confitebantur tamen veritatem, eamqve confessionem necessariam esse judicabant, juxta Rom. X. v. 10. qvod sine certa confessionis forma absolutè fieri non poterat; eosqve à se repudiabant, qvi eandem confessionem non adferebant, II. Joh. v. 10. Nec etiam hodie ad formulas, qua loquendi formæ sunt, nisi eum in finem, ut *uno simul ore unanimiter laudetur DEus & Dominus JEsu Christi*, Rom. XV. 6. & ut ejusdem corporis membra ad testandam summam in Christo unitatem, non idem tantum sentiant, sed *idem qvoqve dicant & loqvantur*, 1, Cor. I. 10. quisquam adstringitur, dummodo sensum retineat, sub formis contentum & ex Scripturis expressum; seu ut denuo Paulus loqvitur, dummodo sit *perfectus in eodem sensu & in eadem sententia*; si vero loqvendi formas, à matre Ecclesia filiis suis præscriptas, rejiciat, condemnatur non ideo, qvia formulam ut formulam rejicit, sed qvia veritatem salutarem rejicit, sub formula

mula latentem & qvia cum matre sua loqvi irreverenter renuit) **und folglich waren auch bey Ihnen keine Kätzer/ als hernach durch die Dinge gemacht wurden.** (De qvo suo loco dicemus) Tandem pressius suam de Hæresi sententiam enunciat: **Demnach war dieses eigentlich unter denen ersten Christen ein Irrthum oder Kätzerey/ wann einer entweder GOtt selbst nach der Heidnischen Blindheit läugnen /** (quo pacto gentiles & athei primis Christianis erant maximi omnium hæretici; quo nihil absurdius fingi potest) **oder nach Christi Lehr und heiligem Leben nicht glänben und einher gehen;** (quo pacto juxta prius & Pontificii & Sociniani & Calviniani, qvi secundum doctrinam Christi non incedunt, erunt hæretici, qvod dicere toto pectore abhorrebit *Arnoldus*, qui huic caveæ longe libentius Lutheranos includet; juxta posterius vero omnes fures & latrones & scortatores erunt hæretici; qvæ assertio risum vel extrema Theologiæ principia intelligentibus exprimet) **oder auch Natur und Gnad unter einander mengen/** qvod est obscurum per æque obscurum exprimere & adeo acutissimi *D. Thomasii* censuram incurrere) **und durch seine Lehre und Exempel ein sündliches Leben einführen wolte.** (Non igitur juxta *Arnoldum* erat hæresis vel error, quando Galatæ per legem justificari volebant, qvo ipso tamen Christum amiserant & ex gratia ceciderant, Gal. V, 4. qvia neqve DEum negaverant, neqve contra doctrinam & exemplum Christi impie vivebant, neque naturam & gratiam confundebant, nec etiam per doctrinam suam de justificatione operum legis Mosaicæ impiam vitam introducebant, sed pietatem potius per illam juxta suam opinionem vehementissime promovebant.) De quibus vero omnibus ex iis plenissime constabit, quæ circa ipsam Hæreseos factam ex mente *Arnoldi* definitionem dicturi sumus.

§. XII. Ante tamen vera, à Scriptoribus ſacris in novo Teſtamento inſinuata & ad omnia Eccleſiæ tempora poſtea derivata, Hæreſeos definitio, ut lucem iis, qvæ contra *Arnoldum* diſputabuntur, adfundat, præmittenda eſt. Ea vero hæc eſt, qvod hæreſis ſit doctrina ſeu conceptus intellectus humani, revelato DEI verbo in iis, quæ ad procurandam hominis ſalutem à DEO manifeſtata ſunt, adverſus, praxin ideo veri Chriſtianiſmi impediens, & ad diſſolvendam membrorum Eccleſiæ unionem tendens. Laudandum omnino eſt in celeberrimo Halenſium Theologo, *D. Breithaupto*, quod cum vix lucem die XIV. Julii M DCXCVII. adſpexiſſet Thomaſiana Diſputatio: *an Hæreſis ſit crimen*, in qva doctrina *Arnoldina*, in Effigiatione primi Chriſtianiſmi eodem ipſo anno prodita, mordaciſſimo ſali involuta proponebatur atque adeo quaſi claſſicum ad futuram Indifferentiſmi propugnationem canebatur, è veſtigio vix ternis hebdomadibus interpoſitis diſſenſum ſuum edita alia *de Hæreſi juxta S. Scripturæ ſenſum* Diſputatione, ingenue teſtatus eſt. Docetur autem in illa, quamquam vocabulum hæreſeos per ſe μέσον ſit & in bonam malamqve partem cum in ſacris tum in profanis ſcriptoribus uſurpetur, uſu tamen factum eſſe, ut ſenſim rationem qvandam malam potius qvam bonam deſignaret. Rebus vero ſacris adpoſitam primo & præcipuo intellectus aberrationem in ſcriptura notare. Nam & cum Judæorum ſectis attribuatur, Act. V. 17. XV. 5. XXIIX. 22. manifeſte eandem involvere. Etſi enim nec defuerit, quo Phariſæi à Saducæis, quoad vivendi agendique viam diſſiderent, tamen eorum diſcrepantiam potiſſimum in credendis fuiſſe poſitam, liquere ex Matth. XXII. 23. 24, Act. XXIII. 8. 9. Et cum Chriſtianorum religioni à Judæis adponitur, in malam accipi partim & religionis profeſſionem notare, ſole clarius eſſe, ex loco

ex loco Act. XXIIX. 22. ubi hæresi Christianorum ubiqve eontradici dicatur. Sed & in cæteris locis, utpote Tit. III. 10. I. Cor. XI. 19. II. Petr, II. 1.2. intellectus errores involvi. Qvæ jam longe ante hunc Theologum in Bibliis illustratis adnotaverat *D. Calovius*, Exegeta, de puriore religione longe meritissimus. Nam ad horum locorum secundum I.Cor. XI, 19. commentatur: *gravius qvid schismate esse hæresin Apostolus particula καὶ, qvæ hic intensiva est, innuit. Audio, schismata inter vos esse & ex parte hoc credo. Nam etiam hæreses oportet inter vos esse. Nimirum facile se credere ait Apostolus, qvod inter ipsos schismata vel contentiones sint de rebus non magni momenti, cum etiam de ipsis articulis fidei contentiones vel hæreses inter ipsos esse oporteat.* Ad primum Tit. III 10. observat, hæreticum hominem, qvem devitandum esse monet, eum esse, qui juxta versum antecedentem stolidas quæstiones & disputationes circa genealogias, & contentiones legales alias prosequatur, inq; iis Christianismi qvasi nervum ponat. Hos verò tales vocare hæreticos, qvi sint devitandi. Istas vero contentiones omnes ad negotium intellectus immediatè, non vero voluntatis pertinere, à quolibet ultro intelligi. Tertium II. Pet. II. 1, 2. vero, hæresin ponere in eo, quod falsa doceantur à pseudodidascalis seu falsarum opinionum doctoribus, qui Dominum ipsos mercantem denegent; quæ adeo manifeste ad intellectus notitiam pertinent, ut quamprimum verba audiuntur, alium generare sensum nequeant. Quamquam vero in eo, quem *Arnoldus* pro se potissimum allegat, loco, ad Galat. V. 20. qua cumprimis in re hæresis consistat non exprimatur, ipsa tamen similium vocum, ἔριες, ζῆλοι, θυμοὶ, ἐριθεῖαι, διχοστασίαι, αἱρέσεις, coacervatio innuit, peculiarem aversationis & separationis, qualem omnes illæ voces denotant, speciem necessario

rio exaudiendam esse. Quæ vero commodior intelligi potest, quam ea ipsa, qvæ in universis locis cæteris, vix uno excepto, designatur, qua nimirum ob diversas intellectus doctrinas separatio instituitur? Nec obest, qvod voluntatis simul motum, utpote mentis alienationem & proximi aliter sentientis odium involvat. Id enim solummodo quæritur, quid vox illa ex perpetuo suo usu immediate insinuet? Nam cætera vocabula aversationem odiumqve in voluntate potius, qvam intellectu involvere, à nemine dubitari potest. Itaque sole meridiano clarius est, hæresin primo & præcipue doctrinam intellectus, præ vulgari electam, denotare, nec, ut aliter sentiret, aliam *Arnoldo* causam fuisse, qvam periculum, indifferentismo suo imminens, si in ordinaria significatione reliquisset. Nam argumenta, quibus institutum suum propugnat, vel millies ab aliis, qui de hæresi data opera scripserunt, protrita sunt.

§. XIII. Quæ de hæretici voce disputantur, frustra foret, si fusiori opera adducere vellemus. Si enim pro certo constitutum fuerit, hæresin primo & immediate secessionem in doctrina ab aliis denotare, ultro consequetur, hæreticum esse, qui talem doctrinam, è verbo Divino ab ecclesia agnitam, rejicit, contrariamq; propugnat. Si verò accedat animi malitia & pertinacia, cum studio unionem pacemq; ecclesiæ rumpendi, hæreseos, qvamquam sola ejus à verbo Divino discrepantia damnabilis, licet pro falsæ doctrinæ qualitate damnabilior & damnabilissima esse possit, malitiam augeri & intolerabiliorem reddi. Ut adeo nihil addi hic opus sit, sed recta ad discussionrm hæreseos Arnoldinam progredi queamus.

§. XIV. *Arnoldus* igitur argumentum pro sententia sua primum à scripturario vocis hæreseos usu desumit, quæ nunqvam aliter accipiatur, quam pro animorum ob quamcunq; causam distractione & orta exinde inimicitia, odio

odio, persecutione. Qvam ad rem præcipue Pauli de hæresi locum, ad Gal. V. 20. allegat, ex eoqve hunc in modum colligit: §. 16. Daß die Kätzerey zu der Apostel Zeiten anderst nichts gewesen seye / als GOTT verläugnen und ein sündliches Leben einführen / hat Paulus deutlich genug angezeiget / wann er die αἱρέσεις, ROTTEN oder Kätzereyen unter die Wercke des Fleisches gezählet / ad Gal. V. 20. da er gewißlich nicht durch solche Lehre / Theoretische Wort-Streite gemeinet / sondern dergleichen böse Früchte des Fleisches / dadurch sich die Fleischlich-Gesinneten und dem Fleisch-Dienenden von dem wahren Weg und Exempel Christi, ausser welchem kein Heil ist / abgewandt und von dessen wahren Nachfolgern und thätigen Christen abgesondert / hingegen den breiten Weg der Welt zur Sicherheit und Gottlosigkeit erwählet haben.

§. XV. Vide vero, quisquis hæc *Arnoldi* citra præjudicium & animum fanaticismo fascinatum legis, in quas irrationabiles sese absurditates Indifferentista conjiciat, ut hæreseos vocem ex consveta & totius omnium seculorum ecclesiæ consensu agnita significatione proturbet. Primo dicit, hæresin Apostolico ævo nihil aliud fuisse, qvam abnegationem DEI & impiæ vitæ introductionem, idqve inde patere, quia inter carnis opera ab Apostolo recensentur. Utrumqve oppido absurdum est. Qvum enim qvarumlibet vocum significatio non ex nostro, qvem iis pro arbitrio nostro & præoccupato conceptu indimus, ingenio, sed ex communi usurpantium & exaudientium usu, non aliter ac nummi valor ex qvotidiana ejus acceptatione dependeat, nemo hominum autem audiendo hæreseos vocem vel abnegationem Divini Numinis, vel impiæ & sceleratæ vitæ introductionem concipiat, nec etiam hoc sensu apud qvemcunqve scriptorem, sive profanum sive ecclesiasticum, legatur, qvæ temeritas est, ei adfingere

ſignificatum, qvod nemo hominum unqvam audiendo vocem vel concepit vel concipere potuit? Cur non æqvo jure eidem vel parricidii vel inceſtus ſignificatum adfinxit *Arnoldus*? Qvod ſi ipſa vocis Etymologia, è qva tamen de ordinario vocis ſenſu judicari non poteſt, reſpiciatur, qvis unquam audivit, eligi (ab αἱρέω, *capio*, *eligo*) abnegationem Numinis, id eſt, Atheiſmum, & qvidem ita, ut ille publice introducatur doceaturqve? Qvod ne qvidem inter gentiles, nedum Chriſtianos auditum eſt unqvam, quippe capital ubique judicatum. Unde ejusmodi beſtiæ, qvæ ne hominum quidem nomine dignæ eſſe omnium conſenſu judicatæ ſunt, ſi qvæ aliqvando extiterunt, virus ſuum nonniſi clam diffuderunt. Qvod ſi dixeris, intelligi ab *Arnoldo* abnegationem DEI, qva ille à Chriſtianis cultus eſt, qvæ nihil aliud ſit, quam apoſtaſia â Chriſtiana Religione, tum iterum partim provocatur ad literam, ejusqve primum & uſitatiſſimum ſenſum, in ſuperioribus ex locorum omnium adductione ſole clarius demonſtratum, qui nec hanc apoſtaſiam tolerat; partim apoſtaſia à Chriſtiana Religione conceptum mentis de DEO in perſonis trino & de Chriſto, ob humani generis peccata incarnato, ſine quo Chriſtianus ne qvidem concipi ut Chriſtianus poteſt, includit, qvam doctrinam abnegatio illa tollit & negat, adeoque hæreſis illa abnegationis Arnoldina errorem mentis principaliter includet & conſeqventer hæreſis in conceptu mentis neceſſario conſiſtet, qvod tamen *Arnoldus* hic unice impugnat. Deinde ratio, qva ſententiam ſuam, qvod hæreſis Apoſtolico ſenſu ſit abnegatio DEI, comprobat, ipſa theſi ſua magis eſt inepta. Qvod enim conſeqventiæ monſtrum eſt; Qvicqvid inter opera carnis recenſetur, illud eſt abnegatio DEI & profligatæ vitæ introductio? Igiturne non omnia peccata voluntaria & proæretica ſunt opera carnis? Aut qvo indicio agnoſcitur,

tur, τὴν αἵρεσιν à reliqvis operibus carnis differre in eo, qvod hæc sit abnegatio DEI & flagitiosæ vitæ doctrina? Reliqua non item?

§. XVI. Qvod si excipias, hoc tantum velle *Arnoldum:* ex addita ab Apostolo hæreseos per opera carnis descriptione id patere, hæresin non esse nudam animi opinionem, vel doctrinam aliqvam, de qvâ controversia oboriatur, ein Theoretischer Wortstreit, qvo sensu vulgo hodie accipiatur, dum hæreseos condemnetur qvælibet doctrina, qvæ veritati alicui cœlesti videatur esse adversa, qvamqvam opus aliquod vel actio aliqua non sit; e. g. cum quis doceat, DEum non velle omnes singulosqve salvare, dari tertium præter cœlum & infernum locum, SS. Evchariştiam esse sacrificium, & innumera talia, quæ non sint opera & fructus carnis, sed meræ opiniones mentis; è contra idololatriam & abnegationem DEI talem esse mentis conceptum, qui directe influat in aliqvod carnis corruptæ opus, utpote in blasphemiam oris vel cultum externum, qvi vero Deo subtrahatur & e contra creaturis exhibeatur. Talem hæresin fuisse Nicolaitarum, qui docuerint licitum esse promiscuum uxorum usum, quæ opinio sua natura statim diffluxerit in impura carnis & adulterii opera. Talem hæresin fuisse Simonis Magi, qvi docuerit, se esse virtutem quandam Divinam, adeoque ab hominibus adorandam. Et adeo summatim hæresin esse, ubicunqve doceatur, â via virtutum, quam Christus verbo & exemplo docuit, esse recedendum, viamqve securitatis & impietatis latam esse sectandam. Tales itaque opiniones, cum carnis opera & fructus malos involvant, quemadmodum & reliqua ab Apostolo recensita opera, utpote scortationem, impudicitiam, rixas, invidiam, cædem, hæreses esse & ab Apostolo, cum hæreseon mentionem facit, intelligi, non vero opiniones mentis, nudas & steriles, quales sint: utrum

tres personæ Divinæ, utrum Christus sit Filius DEI, Patri coæternus & coessentialis, utrum secundum carnem sit Filius DEI naturalis, an adoptivus, an carni communicata sit majestas Divina, an Christus loco humani generis passus pro eodem satisfecerit, an sola fide, meritum Christi nobis imputatum recipiente, justificemur & salvemur, & infinita talia, qvæ in mera inutili speculatione consistant.

§. XVII. Ad hæc vero, quæ qualemcunqve specimen præferunt, variis modis respondetur. Itaqve I. id omnibus iis, qui vel ad Syncretismum vel Indifferentismum consilia sua dirigunt, commune est, ut dum controversias extenuare & momentum earum vel exiguum vel nullum reddere adlaborant, simplicioribus & politicis, qui res sacras intimius penetrare non possunt, persvadeant, illas in meris verborum rixis consistere, es seyen Wortstreit und λογομαχίαι, quæ vel pro diversa vocum acceptione & expositione conciliari facile possint. vel mera verba, quæ rem nullam in se complectantur, ex qua Christiana vita ædificari & melior reddi possit. Quamquam vero negari nequeat, nonunquam de meris verbis quoque inutiliter contendi, ut omnium rerum, etiam optimarum, dantur abusus, tamen id æque certum est, hac loquendi ratione id unice intendi, ut quicquid in tota Theologia controversiarum est præter sola moralia, in meras verborum vocumqve inanium pugnas convertatur. Unde ex solenni hoc cantu, Wortstreit / Wortzänckerey / Worthader & similibus avem Indifferentisticam illico tanquam ex rostro cognoscas. Qvare II. etiam mera verba aliquando momentum aliquod in se continere possunt, ut de iis jure meritoqve contendi queat, ut vel admittantur, vel rejiciantur. Si enim in rebus hujus seculi, ubi de Regibus, Principibusqve sermo est, verba quasi ad libram adpendimus, ne eorum majestas vel ullo incommodo verbo, immo ne syllaba

ulla

ulla lædatur; unde & ob sola nonnunquam verba, in quibus neuter alteri cedit, ad arma concurritur. Qvidni & de DEO rebusque Divinis ita non sentiendum tantum, sed & loquendum sit, ne Divinæ majestati vel tantillum derogetur? Est enim DEO non minor honor & reverentia tum in rebus tum in verbis exhibenda, qvam iis, qvi in hoc mundo nobis præpositi sunt & excellunt, juxta Malach. I. 6. Et si animum nostrum totum, omnesqve ejus facultates & vires DEO devovere ita debemus, ne qvidquam in iis reperiatur, qvin DEI amori & honori inserviat, cur non & os nostrum & lingvam, omniaqve ejus verba & voces, ita DEO consecremus, ne quodcunque in iis reperiatur verbulum, quod quacunque ratione vel naturæ ipsius vel majestati vel mysteriis ab ipso revelatis sit adversum? Si in hujus seculi rebus nunquam admittitur, ut cum Regius Princeps compellandus est, Ducalis Principis titulo compelletur, cur in rebus DEum attinentibus minorem adhibeamus circumspectionem & Filium totius mundi monarchæ Patri non ὁμοούσιον, & unius ejusdemque cum ipso essentiæ & majestatis, sed ὁμοιούσιον, seu similis naturæ tantum & honoris cum eodem dici patiamur? Similis ratio reliquorum omnium est, in quibus ab Indifferentistis λογομαχίαι & verbales rixæ vane nobis objectantur. Unde perpetuo totius Ecclesiæ more & consuetudine invaluit, ut non tantum circa ipsas sententias de DEO rebusque Divinis, sed & circa verba, quibus res Divinas & mysteria exprimerent, summam curam adhiberent Ecclesiæ doctores, ceu exempla primorum Conciliorum testantur, cui mori & reformata per Lutherum Ecclesia inhæsit, qvæ in Præfatione Librorum Symbolicorum testatur, se ne latum quidem unguem discessuram esse â confessione fidei, â se edita, non tantum qvoad res ipsas, sed & quoad phrases, id est, quoad verba & loquendi formas, res ipsas exprimen-

tes. Et ratio manifesta est. Cum enim verba sint signa rerum & conceptuum, neque conceptus aliter quam per verba repræsentari possint, immote sequitur, ubi verba sunt inconvenientia, ibidem inconvenientem vel esse vel in animo audientis generari conceptum, adeoque, nisi conceptui falso occasionem causamque præbere velimus, verborum non minorem quam rerum ipsarum curam gerendam esse. Ex quo amplius consequitur, qui de verbis contendere nolunt, nec curare, qvomodo illa comparata sint, è contrario curam circa verba inutilibus rixis annumerant, hoc unum agere, ut à vero rerum ipsarum intellectu homines abducant & iisdem persvadeant, qualiscunqve sit rerum Divinarum, verbi item Divini & mysteriorum intellectus, id perinde esse, neqve ad impetrandam animæ salutem qvidqvam conducere. Qvod est ipsum primum ultimumqve Indifferentismi principium. Qvæ omnia eò fusius adducenda nobis fuerant, quia non ab omnibus animadvertitur, qvid per ubiqve increpitam illam λογομαχίαν, qvam singulis propemodum paginis, ut avis cantum suum, repetit, intendat vaferrimus Indifferentistarum Patriarcha, *Arnoldus*.

§. XVIII. Secundo si concedatur, eam tantum doctrinam hæreticam esse, quæ praxin aliquam virtutis & pietatis lædit & labefactat, tum hoc intelligendum est non tantum de praxi pietatis in se consideratæ, sed etiam secundum eum praxeos modum, qui à DEO revelatus est & præceptus. Nec enim DEus colendus est secundum eum modum, qui nostro ingenio videtur esse conveniens. *Non facietis juxta omne, qvod rectum est in oculis vestris.* Deut. XII. 18. *Sed qvod in oculis DEI tui rectum est.* Deut. VI. 18. *Non addetis qvicqvam nec diminuetis* Deut. IV. 2. Jam DEus non præcepit tantum, ut DEum colamus & pietatis studio, generaliter loquendo, dediti simus, sed ut servi-

servitium illi exhibeamus nonnisi in Filio, Joh. V. 23. Et in Spiritu S. quippe sine qvo Filius coli non potest, I. Cor. XII. 3. Impossibile autem est, colere Filium, nisi intra animum & intellectum nostrum convicti simus, Filium & Spiritum S. unum esse eundemqve coessentialem Patri DEum. Id enim nisi credamus, idololatriam committimus, Filium & Spiritum S. colendo, cum solus DEus colendus, eiqve serviendum sit, Matth IV, 10. Ita fiducia collocanda est non tantum in DEum, Psalm. CXXV. 1. sed & in Filium, Psalm. II. 12. qvi sola fide apprehensus salutem nobis præstet. Joh. III. 16. ut qui per legis opera salvari cupiat, salutem amittat, Gal. V. 4. Id verò qvomodo fieri poterit, nisi verum & conformem verbo Divino conceptum tum de ipsa fide, cui tanta, tamqve grandia in Scriptura ubiqve tribuuntur, tum de lege, ejusqve operibus, intra mentem tuam possideas? Nec enim cultus noster brutus esse debet, ut tantum colamus DEum & Christum, ut ignari, quis sit, quem colamus, aut quomodo colamus, aut cur colamus, sed debet esse λογικὸς & rationalis, Rom. XII. 1.

§. XIX. Tertio praxis Christianismi conspicitur non tantum in praxi virtutum Christianarum, sed in praxi præprimis ipsius fidei & fiduciæ, in meritum Christi contra omnes tentationes ponendæ. Non tantum illa doctrina hominem Christianum ab Ecclesia divellit & separat, adeoqve schisma parit, qvod est hæresis, qvæ vel lædit vel tollit virtutem aliqvam moralem, sed quæ quodcunqve eorum negat aut impugnat, quod fidem nostram in Christum & certitudinem salutis nostræ vel imminuit vel tollit. Cum omnis Scriptura hunc ipsum in finem humano generi tradita sit, ut hominem informet & aptum reddat ad refellendos veritatis adversarios, ad castigandos mores improbos, ad continendos in officio probos,

bos, ad consolandos in tentationibus & calamitatibus afflictos, II. Timoth. III. v. 16. Qvicquid horum usuum qvemcunqve labefactat, sive informationem, sive castigationem, sive refutationem, sive consolationem, id eoipso aptum natum est, ut ab Ecclesia divellat, qvæ his veri Christianismi fundamentis unicè innititur. Ratio est, quia vel impedit vel tollit id, qvod ut Ecclesiæ ministrum & virum DEI, II. Tim. III. 17. ita multo magis quemlibet Christianum perfectum reddere potest, debetque ad omne bonum opus & fiduciæ, adversus quaslibet errorum tentationes in Christum ponendæ, & pietatis, ad declarandam fidem necessariæ, instructum. Jam vero omnis Scriptura, seu omnis doctrina in Scripturis contenta, utilis est ad illos effectus, vel omnes, vel plerosqve, vel aliquos saltem producendos. Quod disertissimis verbis asserit Paulus. Ergo qvicunque doctrinam aliquam, vel unam, ad salutem nostram vel fundandam vel defendendam & statuminandam revelatam, præfracte vel contemnit, vel pro levi reputat vel contrarium propugnat, is doctrinam ab Ecclesia Christi diversam, saluti exitiosam, consequenter Ecclesiam scindentem, fovet & introducit, id est, hæresin ipsius *Arnoldi* judicio committit. Sic qui negat, DEum serio omnes homines singulosque velle salvos, Christumque pro omnibus esse mortuum, docet vero homines irresistibiliter converti, nec fidem semel collatam posse amitti: itemque sanctos religiose invocandos esse, dari purgatorium, Romanum Pontificem esse universalem Ecclesiæ monarcham & similia, is negat primo doctrinam clarissime revelatam & affirmat doctrinam, cujus contrarium in Scriptura evidenter est traditum. Deinde negat doctrinam, quæ facit ad consolationem in tentationibus, qva instrui non possumus, neque de salute nostra certi esse, quousque persvasi sumus, DEum non velle omnes

salvos

salvos, sed maximam potius hominum partem ex absoluto quodam beneplacito vel saluti vel damnationi addixisse, neque Christum pro omnibus mortuum esse. Ponit & affirmat doctrinam, quæ vel DEO honorem adorationis cum creaturis communem facit, qvod tolerare DEus non potest, Es. XLII. 18. vel in satisfactionem Christi perfectam iniqua est, qui omnia peccata nostra in corpore suo luit, pœnasqve eorum persolvit, Es. LIII. 6. 7. Vel deniqve Christo gloriam surripit universalis in Ecclesiam regiminis, qui solus est Ecclesiæ suæ monarcha, Eph. I. 22. 23. & homini, qui fallere & falli facile potest, privilegium infallibilitatis attribuit, Psalm. CXVI. 11. Cur hæc talia non æqvè hæreseos nomine veniant, qvæ introducunt doctrinas, usibus Christianissimi, ad generandam in nobis & conservandam adversus tentationes fidem necessariis, è diametro adversus, qvam cum introducitur doctrina, abnegationi DEI & impiæ vitæ inserviens? Per quæ duo sola hæresin definit *Arnoldus*.

§. XX. Deniqve qvartò ponamus, ex origine vocis αἱρέσεως, id tantum constare, hæresin esse vel sententiam vel doctrinam, qvam dum defendimus, ab aliis in aliquo vitæ instituto, cum aliqua animi alienatione, aliorumque odio, discedimus, ab iisque nos separamus, qvamqvam hoc nullo immoto argumento probari possit, attamen cum per hæresin intelligimus errorem tantum intellectus, ob qvem ab aliis nos divellimus, & etymo vocis æqvè satisfit & hoc vitium æqve est opus carnis, ac reliqua. Caro enim in hac loqvendi ratione nihil aliud notat, quam peccatum originale, cui cum dominium permittitur, opus carnis progeneratur. Jam vero peccatum originale non in voluntate tantum residet, unde impietas & abnegatio DEI oritur, sed etiam in intellectu, unde error. Unde non minus ab erroribus, cavere nobis jubemur, ac à vitiis & sceleribus.

Matth. XXIV. 24. Eph. IV. 22. II. Thes. II. 11. II. Petr, III. 16. 17. I. Joh. IV. 6. E contra non minus nobis veritas comprehendenda ac sectanda commendatur ac justitia & morum probitas. Joh. IV. 23. XIV. 17, XVI. 13. XVII. 17. 19. XIIX. 37. II. Cor. XIII. 8. Gal. II. 5. 14. Eph. I. 13. Col. I. 5. II. Thess. II. 12. 13. I. Tim. II. 4. III. 15. IV. 3 VI. 5. II. Tim. II. 18. III. 7. 8. IV. 4. Tit. I. 1. 14. I. Joh. V. 6. II. Joh. I. 1. 2, 3. 4. III. Joh 1. 2. 3. 4. Jac. V. 19. Sunt innumera alia veteris novique Testamenti loca, qvæ omnia de veritate practica, qvæ est animi in vivendo agendoqve integritas, interpretari insanientis hominis esset, qvum veritas in primo suo, qvum auditur, conceptu intellectus cum reipsa conformitatem, veramqve ejus apprehensionem enunciet, à qua litera pro lubitu nostro recedere sine gravi & invicta ratione non licet. Idque eo minus, quia freqventissime veritas illa ad verbum Divinum restringitur, veritas autem verbi alicujus est vera verbi apprehensio, sive id, qvod apprehenditur, in materia practica, sive in theoretica versetur. Quinimo veritati materia nonnunqvam pure Theoretica adjicitur, ut ne quidem de veritate practica intelligi possit, utpote cum ii dicuntur à veritate aberrasse, qui dicunt, resurrectionem jam factam esse, II. Thess. II. 18. itemque cum cognosci veritas dicitur, II. Joh v. 1. cum à veritate quis dicitur in errorem induci, Jac. V. 19. cum audiri dicitur verbum veritatis, Eph. I. 14 cum non cognosci neque θεωρεῖσθαι, theoria comprehendi Spiritus veritatis dicitur, Joh. XIV. 17. Qua de re vero in Scrutinio secundi Indifferentismi criterii ex instituto à nobis dicetur.

§. XXI. Ut in compendium contrahamus ea, qvæ circa principalissimum de Hæresi, deque ejus nomine & natura locum à nobis dicta sunt: nullo vel ex voce vel ex textus circumstantiis deducto argumento doceri firmiter potest, qvod hæresis tantum electam qvandam doctrinam

nam circa abnegationem DEI vel impietatem vel qvodcunqve vitium, qvo nihil absurdius excogitari potuit, morale denotet. E contra non tantum non repugnat vel vocis significationi vel quorumlibet textuum circumstantiis, ut certam doctrinæ & religionis formam, præ communiore electam atque ab hac quasi scissam & separatam, qualis erat ex Judæorum mente Hæresis Pharisæorum & Hæresis Christianorum, Act. V. 17. XXIIX. 22. significet, sed quorumlibet præterea locorum, in qvibus hæreseos vox comparet, contextus necessario reqvirit, ut primo doctrinam, dein ex doctrina schisma significet; ne quidem eo excepto, in qvo hæresis inter opera carnis recensetur, Gal. V. 20. si αἵρεσις à διχοστασία, cæterisque scissuris distingui debet. Cum itaque omnis hæresis schisma sit ob diversam ab ordinaria sententiam, qvid hæresis apud Christianos aliud esse potest, qvam doctrina à Christianismo, ut ille in Scripturis revelatus est, aliena, ad separationem faciendam apta nata? Id est, saluti exitiosa. Ut vero omnis διχοστασία, *dissensio* vel dissidium reip. noxium est, unum tamen periculosius altero, aliud denique plane exitiosum: ita & cum hæresi comparatum est. Et qvemadmodum cibus noxius est, quicunqve valetudini qvocunqve modo insidiatur, ut vel mortem, quamprimum sumitur inducat, vel ægritudinem tantum & mortis periculum conciliet, vel deniqve ad morbum tantum remote disponat: ita quoque hæreses & doctrinæ exitiosæ ita comparatæ sunt, ut vel æternam damnationem, quamprimum animo comprehenduntur, inducant, quales sunt doctrinæ, quæ negant Christum in carnem venisse, I. Joh. IV. 3. aut in eundem credendum esse, Joh. III. 18. itemque, qvæ affirmant, quæcunqve peccata voluntaria & proæretica non inducere æternam damnationem, Gal. V. 20. 21. Vel ad has ipsas doctrinas erroneas viam sternunt, quales sunt,

quod Christus non sit DEus ab æterno à Patre genitus, quod obsequi tantum mandatis ejus legalibus voluntatemque illius implere debeamus, itemque, quod in peccato perseverandum sit, ut gratia eo major fiat, Rom. VI. 1. Vel deniqve ita comparatæ sunt, ut per eas remotius ad hæc talia vel affirmanda vel neganda permoveri queamus. Utpote cum nego, DEum vere esse passum. Id enim si dixero, facile in majorem errorem inducor, ut credam, DEum non esse vere incarnatum. Et cum affirmo, Christum tantum in exemplum nostrum, non loco nostri passum & mortuum esse, in eum facile errorem inducor, ut statuam, fiduciam meam in ipsum non esse ponendam, sed tantum vitam ejus nobis imitandam esse. Deniqve cum affirmo, peccata cum probabili aliqua causa commissa, quantacunque de cætero sint, actu damnationem non inferre, qvæ Probabiliſtarum est opinio. Id enim si dixero, facile eo deducor, ut credam, nulla peccata mortalia inferre damnationem. Ex qua consideratione merito Theologi dixere, hæresin vel primarium fidei articulum lædere, vel ad eundem lædendum aut propius aut remotius comparatam esse.

§. XXII. Quod si dixeris: ita omnem errorem fore hæresin, qvia omnis error tollat doctrinam, Divinitus revelatam; & hoc ipsum esse, quod *Arnoldus* in hæretificatione hodierna desideret, qvod nullus modus, nullus finis hodie sit, ob quemcunque errorem, etiam in mera loquendi forma consistentem, alios hæretificandi: tum respondetur I. Arnoldo nullum plane errorem esse hæresin, adeoque per hoc id ad minimum fuerit probatum, dari hæresin aliquam, in conceptu mentis consistentem, quod negat *Arnoldus*. II. Quamquam qvoad vim vocis quilibet error, qui eligitur, & quo quis se à recte sentientium cœtu separat, hæresis possit dici, usu tamen, penes quem

quem est vis & norma loquendi, obtinuit, ut error tantum gravior & periculosior hæresis dicatur. Quemadmodum vi vocis quodlibet mysterium & sacrum signum potest dici Sacramentum, usu tamen & consuetudine Ecclesiæ invaluit, ut id signum sacrum tantum Sacramentum dicatur, quod exteriore elemento gratiam nobis Divinam & exhibet & obsignat. III. Quemadmodum inter hæreticos datur differentia, ut quidam dicantur hæretici simpliciter dicti, alii hæresiarchæ, ut hi nempe gravius & majori cum pertinacia aliorumque seductione errare dicantur: ita quoque hæresis ipsa modo in eminentiore significatu dicitur error, qui præsentissimum saluti periculum creat, modo in depressiori quilibet alius error, qui paulo remotius saluti insidiatur. Quemadmodum unus cibus magis noxius est sanitati, quam alter; & quamquam omnis cibus sanitati noxius sit periculosus, is tamen solus venenatus esse dicitur, qui præsentissimum sanitati & vitæ exitium minatur.

§. XXIII. Atqve hæc hactenus ad rectius judicium de loco Apostolico, in eoque vocis hæreseos ferendum, scitu nobis prorsus necessaria tuerunt. Nunc ad ulteriora *Arnoldi* argumenta nobis progrediendum est, quorum secundum desumitur à descriptione hæreticorum & hæreseon, in reliqua scriptura occurrente, eaque cum praxi Apostolica & primitivæ Ecclesiæ conjuncta; qua de re prolixius agit in der Kirchen- und Ketzer-Historie / Sec I. cap. III. § I. seqq. Quamquam vero in materia, in qua nec sibi ipsi videtur satisfacere posse, confuse admodum & adeo intricate procedat, ut quid vel dicere, vel sentire velit, difficulter nonnunquam conjectari possit & ubique sibimetipsi contradicat, quia conceptam semel animo de hæresi sententiam, ne Indifferentismo suo damnum ullum inferat, cum Scriptura & praxi Apostolicæ Ecclesiæ con-

ciliare commode non potest, nos tamen non videmur rectius facere posse, quam si momenta, ab ipso in singulis paragraphis proposita, quantum illa in confusione isthac intelligi possunt, ad veritatis cœlestis lancem expendentes, judicium de iis nostrum feramus.

§. XXIV. Dum itaque paragrapho capitis primo recensere se velle ait, quomodo post externas persecutiones Ecclesia etiam internas tentationes ab iis perpessa fuerit, qui, ut Apostolus loquatur, viri erant, loquentes perversa, ut abducerent discipulos post se, Act. XX 30. protestatur statim initio, ægrè ferre neminem debere, quod novam prorsus de hæresibus sententiam referre cogatur. **Es würd mir kein Verständiger verargen/ wenn ich nicht allezeit dem gemeinen Bericht hievon nachgehe/ wie man ihne fast durchgehendes aus denen Schrifften der folgenden Zeiten zu nehmen gewohnet ist.** Concedit in his verbis *Arnoldus*, I. se novam prorsus & nunquam vel auditam in Ecclesia vel receptam sententiam de hæresi fovere. Quo ipso confitetur, se novatorem esse & sapientiorem semetipsum, quam quotquot ipsum patrum, doctorum & Theologorum in Ecclesia antecesserunt, reputare. Debebat autem vir inflatus illius sapientis meminisse, juxta versionem Lutheri: **Laß dich nicht klüger düncken denn die Alten. Dann die habens auch von ihren Vätern gelernet.** Sir. VIII. 11. II. Si *Arnoldus* sufficientibus niteretur discessus sui à tota Ecclesia rationibus, temeritas ista ei condonari posset. At cum causa ejus rei nulla ei sit alia, qvam aptare doctrinam suam de hæresi præconcepto suo de religionum Indifferentismo consilio, ad quod statuminandum defendendum fuerat, nullum dari in Christiana Theologia errorem intellectus salute excludentem, id est, vulgari Ecclesiæ sensu hæresin, frustra instituti sui excusationem & veniam efflagitat.

§. XXV.

§. XXV. Deinde ut invidiam à se novitatis declinet, §. 2. rationes producit, cur à communi & statim post Apostolos ubiqve recepta de hæresi sententia recedat. Quia nempe multa sint, quæ justam suspicionem legenti moveant, utrum qui post Apostolos aliquid de hæreticis retulerunt, bonam adhibuerint fidem. Quam suspicionem justam esse sequentibus argumentis probat I. Weil sie von denen Kätzern urtheilen nach dem Sin und Begriff ihrer verderbten Zeiten / woran man nicht gleich alles begreiffen und nach dem eigenen gemachten Maaß der Lehre abmessen kan. Quicunque igitur ex præoccupato conceptu de hæresi judicat, ejus judicium est suspectum. II. Weil es hernach gemeiniglich einem jeden frey stund / einem anderen / dem er etwa nicht gut war / Irrthum Schuld zugeben. III. Weil man sich nicht nach der Apostolischen Art gerichtet / wie dieselbige von solchen Sachen geurtheilet / sondern nach denen schon verdorbenen Lehr-Sätzen und eingeführten Gewohnheiten der gefallenen Kirchen. IV. Weil man nicht darnach gesehen / ob sich einige noch geändert und also des ungütigen Urtheils der Nachkommen dadurch entlediget haben / zumahlen wann niemand dadurch verführet / oder die Verführten selbst zurecht gebracht worden. V. Weil man sich offt gar zu offenbahrlich partheyisch erwiesen und ohne groß Bedencken daß und jenes zu denen Beschuldigungen dazu gesetzet / auch offt das beste und nöhtigste verschlagen / nur damit solche Personen greulich genug außsehen und man ihnen ja nichts zubillichen oder zu loben haben möchte. Concludit tandem, longe plura præjudicia adferri debuisse, wann es hieher gehörte.

§. XXVI. Ad qvæ vero respondetur I. si maxime hæc omnia vera essent, tamen inde nondum confectum iri, hæresin non esse conceptum mentis erroneum, de quo tamen

men unice disputatur. Poterat enim doctrina de hæresi, quod sit error intellectus, veritati Divinæ & praxi Christianismi adversus, Divino verbo conformis esse, & tamen in judicio & processu adversus hæreticos vehementer peccari. II. Quam fastuosa & intolerabilis est *Arnoldi* præsumptio, quod omnes singulique post Apostolos Ecclesiæ doctores circa hæreses & hæreticos multis modis erraverint, ipse solus post tot seculorum temporumque intervalla repertus fuerit, qui, quod verum & verbo Divino conforme est, suorum oculorum acie penetrare & errores totius mundi potuerit detegere? III. Cœcus sit *Arnoldus*, nisi videat, omnia hæc præjudicia Historiæ suæ Hæreticæ eodem jure, quo ipse cæteros Hæresiographos omnes infamat, objectari posse. Nam & ipse hæreticos secundum præconceptam Indifferentismi sui limam unice metitur & dijudicat. Deinde licentiam sibi sumit, omnes reliqvos, quotquot alios hæreseos condemnarunt, hæreticorum catalogo, tanqvam homines rixosos, inserendi. Porro in personis, quas suæ doctrinæ obesse videt, nihil prorsus boni reperit, maximas etiam virtutes & in Ecclesiam merita, dummodo errantes hæreseos accusaverint, silentio sepelit, aut iniqve de iisdem judicat. Deniqve qvotqvot orthodoxi à nobis vocantur, infamibus convitiis dilacerat, eorumque nævos exaggerat, eum tantum in finem, ut in orthodoxis nihil plane bonum & laudabile, in hæreticis omnia rata, pia & laude potius, quam vituperio digna appareant. Ita quibus præjudiciis hæresiographorum historias suspectas reddere adlaborat *Arnoldus*, iisdem & suammet historiam verissime conspurcat & condemnat. Quam igitur suomet judicio & exemplo merebitur fidem? Tandem IV. quanta hæc est, quamque stupenda impudentia, tot hæreseon per omnes Ecclesiæ ab Apostolis usque ætates scriptores, pro bonis virisab omnibus habitos,

habitos, neque mendacii ullius unquam convictos, quorum effata & narrationes â coævis patribus iisque sanctissimis, suomet testimonio confirmata sunt, inordinatorum affectuum & injustitiæ, in hæreticos commissæ, reos agere? Quod si in uno alteroque aliquid vel odio vel amori dederint, quod tamen non supponendum sed solide probandum est, cum quilibet præsumatur bonus, donec probetur contrarium, cur ideo omnis historia in dubium vocatur, cur hæreses omnes & hæretici omnes ex rerum natura eliminantur? Sed vero jam demonstratum â plurimis est & post hac amplius demonstrabitur, quam inanibus argumentis fidem αἱρεσεογραφῶν ambiguam reddere adlaboraverit *Arnoldus*, qui hoc ipso fidem jam omnem apud viros, veritatem præ Indifferentismi Helena amantes, decoxit.

§. XXVII. Tertio *Arnoldus*, ubi ad rem ipsam accedit, recte supponit, hoc unum sibi probandum esse, **das aus denen Schrifften der ersten hundert Jahr ohne Absicht auff die folgende Zeiten ersehen werden müsse/ ob und was man damahlen Irrthum/ Abfall/ Kätzerey und dergleichen genennet habe?** Id vero ut ostendat, ab ipsa voce hæreseos exorditur, quæ apud vetustissimos Ecclesiæ doctores, nunquam pro convitio, ut postmodum factum fuerit, sit accepta. **Damahls war das Wort** αἵρεσις **oder Kätzer kein eigentliches Scheltwort oder Zunahme/ damit man so muthwillig und ohne Unterscheid einander beleget hatte/ sondern die Apostel und ihre Jünger zeigeten damit den lautern Ernst und nach der Warheit eine boßhafftige Absonderung von dem wahren Christenthum zu einem ungöttlichen Wesen an/ wiewohl sie das eben mit anderen Wörtern lieber außdruckten und sich mit Fleiß alles Zunahmens und Scheltens enthielten/ wie es sich sogar mit dem Christenthum nicht reimete/ ja nicht**

einmahl mit der natürlichen Bescheidenheit bestehen kunte. Wie dann in denen sehr wenig Orten der Apostolischen Schrifften schlechthin die Sache angedeutet würde und Lutherus in der Dolmetschung das Wort Kätzer nur ein eintzig mahl in der gantzen Bibel gesetzt hat / weil er den unrechten Ursprung und Gebrauch desselbigen wüste und selbst erführ.

§. XXVIII. Tantum est, tamqve crudele *Arnoldi* in hæreseos denominationem & objectionem odium, ut ne vocem quidem ipsam sine summa animi commotione audire possit. Tu vero quisquis es, in verbis ex *Arnoldo* adductis, sequentia ad animum revocabis. I. Convitium insectatio probrosa est, alteri defectum aliquem in detrimentum honoris ipsius objiciens. At qui alterum, errorem in doctrina ad salutem necessaria committentem, eundemqve pertinaciter defendentem, hæreticum appellat, eundem non probrose & cum detrimento honoris ipsius insectatur, sed id dicit, quod veritati convenit & honorem ipsius illæsum relinquit. Sicut, qui *Arnoldum* Indifferentistam appellat, eundem non convitiatur, qvia id de illo enunciat, quod ipse publica professione de se prodit, nec honor ipsius per id læditur, cum qvi hoc ipsi nomen imponit, intentionem non habeat, illi convitium dicendi, aut honori ipsius detrahendi, sed eundem ab aliis quoad religionis professionem secernendi, & quali religioni adhæreat, ostendendi, qvod fieri aliter non potest, quam ea denominatione, quæ publicam fidei ipsius confessionem exprimat. Quare jam olim Thomas scripsit, Secunda Sec. Qu. LXXII. Art. II. *Cum convitium seu contumelia de sui ratione importet qvandam dehonorationem, si intentio proferentis ad hoc feratur, ut aliqvis per verba, qvæ profert, honorem alterius auferat, hoc proprie & per se est dicere convitium, & hoc est peccatum mortale, non minus*

qvam

qvam furtum vel rapina. Non enim minus amat homo ſuum honorem, quam rem poſſeſſam. Si vero aliqvis verbum convitii alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, ſed forte propter correctionem, vel propter aliqvid hujusmodi, (utpote diſcernendum ipſum ab aliis) *non dicit convitium.* At qvi hæreticos hæreticos vocat & qui *Arnoldum* vocat Indifferentiſtam, is hoc facit optima intentione, utrique nempe errorem damnabilem in memoriam revocandi & ab errore dehortandi. Idem & veteres hæreſiographi fecerunt. II. Si Apoſtoli ſtudio ab omni convitio abſtinuerunt, cur Judæos incircumciſos corde & auribus, cur proditores & ſicarios, cur filios Diaboli, plenos omnis doli & omnis fraudulentiæ, hoſtes omnis juſtitiæ, ſtultos & faſcinatos, canes & malos operarios, miniſtros Satanæ & magiſtros mendaces appellarunt? Sed hæc convitia omnia libenter toleraret *Arnoldus*, dummodo hæreſeos & hæretici nomen & cum nomine res ſimul ipſa ita ex orbe eliminaretur, ne quisquam error, niſi qui docet, profanæ vitæ & impietati ſtudendum eſſe, pro errore damnabili haberetur. Quid vero de convitiis, ab ipſo Servatore noſtro, qui mitis fuit & humilis corde, in clerum Judaicum, non ob vitia tantum moralia, ſed etiam ob errores in veritatem, verbo divino expreſſam, conjectis dicet *Arnoldus*? Quum Phariſæos vocavit ſerpentes & viperarum progeniem, fures & latrones, hypocritas, mendaces, Diaboli filios? An forte convitiari, (voce pro ſevera errorum morumque caſtigatione ſumpta) Chriſto & Apoſtolis licuit, eorum diſcipulis non licebit? III. Si cum Chriſtianiſmo non convenit, immo ne quidem cum æquitate & modeſtia naturali, convitia in alterum jacere, quæritur, quid de more Arnoldino ſentiendum ſit, cujus tota hiſtoria hæretica nihil aliud eſt, reapſe niſi convitiorum plauſtrum in orthodoxos, totumque miniſterium Lutheranum

jactum? Cum in uno illo seculi XVI. capite, quod agit von dem Verfall des Lutherischen Predigampts / illis objectet, ceu tituli marginales produnt, Sicherheit / Faulheit / Blindheit und Verstockung / viehische Dummheit / Heucheley / Geschwätz und lose Verführung / Hochmuth / eigensinnige Herrschafft / Geldgeitz / Antrieb zum Wucher / Ehrgeitz / unehrliche Handthierung / Wein und Bier-Schencken / Schmausen und Gastiren / Fressen und Sauffen / Ehebruch und Hurerey / Papstthum / Anti-Christenthum / Schmarotzen / Epicurische Wort / Simonie, monopolium, Rachgier / Blutdürstigkeit / Schlägerey / Mordthaten & infinita talia. An cum Christianismo & modestia civili convenit, Lutheranis doctoribus objectare ipsummet Anti-Christianismum, quantumlibet in doctrina Christiana recte sentientibus, non liceat autem à fide deviis hæresin? IV. Quod denuo repetit *Arnoldus*: die Apostel und ihre Jünger hätten mit dem Wort Kätzer angezeiget den lautern Ernst und nach der Wahrheit eine boßhafftige Absonderung von dem wahren Christenthum zu einem ungöttlichen Wesen; id partim ita obscurum est, ut quid dicere velit, ne Oedipus quidem divinet. Quid enim, quæso te, hoc est: hæresis est pura & mera severitas? Quid est: hæresis est separatio secundum veritatem? Præ desperatione suæ causæ & confusione nescit ipse, quid loquatur, *Arnoldus*, nedum ut alii intelligant. Si intelligit per separationem juxta veritatem doctrinam à veritate alienam & ad impietatem deducentem, omnis doctrina, cuicunque doctrinæ revelatæ adversa, separatio est, vel doctrina à veritate aliena & ad impietatem deducens. Omnis enim vera doctrina ad pietatem ducit, quia deducit ad informationem intellectus humani, tenebris errorum obscurati, quæ est fons & origo pietatis, sine qua pietas moralis nec oriri nec existere

potest;

potest ; & porro deducit ad refutationem, dehortationem & consolationem, quibus pietas firmatur & robur acquirit. Ergo omnis doctrina à veritate aliena ad contrarium, nempe ad praxin impietatis ducit. Deinde merum est inventum cerebri Arnoldini, quod hæresis sit malitiosa separatio â vero Christianismo, cujus acceptionis nec vola nec vestigium, sive in voce hæreseos, sive in usu vocis, sive in scriptura, sive in antiquitate sacra, sive in profanis auctoribus occurrit. Ceu ex iis, quæ postea ad *Arnoldi* objectiones amplius dicemus, enitescit. Denique V. quam irrationabilis est consequentia : Lutherus semel tantum vocem αἱρέσεως per **Kätzerey** reddidit : Ergo propter falsum hujus vocis sensum hoc fecit ? Si enim noverat perversum hujus vocis sensum & persvasus fuerat, ideo propter facilem ejus abusum ea abstinendum esse; ergo debebat ea plane abstinere & ne semel quidem ea uti, ne vel semel scandalum daret. Sed vero audiamus *Lutherum*, Tomo VI. Opp. Altenb. p. 863. illum Pauli locum, in quo vocem αἱρέσεως non per hæresin, sed per sectam vel **Rotten** reddidit, ita interpretantem: **Rotten nennet hie St. Paulus nicht die Uneinigkeit / so entstehet im häußlichen oder gemeinen Land-Regiment / umb leiblicher weltlicher Sachen willen / sondern die sich in der Christenheit umb die Lehre des Glaubens und der Worte willen erheben.** In hoc igitur aliisque locis vox **Rotten** idem Luthero sonabat qvod **Kätzerey**. Quam studiose vero *Lutherus* vocem **Kätzer** ob ambiguitatem suam defugerit, sequentia verba arguunt: **Dann es sind alleweg Rotten und Kätzereyen in der Kirchen / wie droben mehr dann an einem Ort gesagt ist. Doch ist der Pabst der rechte Ertz- und Haupt-Kätzer / dann er hat die Welt mit unzehlich viel Kätzereyen und Rotten gleich als mit einer Sündfluth erfüllet.** Itane jam tu hæretifex es, *Luthere*, qui antea tam studiose hæreseos

seos vocem, ne hæretificio patrocinari videreris, defugisti? Ad tam absurdas nempe fatuasque inventiones *Arnoldum* concepta semel animo novitas seduxit.

§. XXIX. Nunc demum post tot præludia *Arnoldus* ad rem ipsam accingitur, probatque, (immoto scilicet argumento) Hæreseos vocem, quoties in sacris occurrit, non sententiam aliquam mentis, doctrinæ in Scriptura revelatæ adversam, ut universus hactenus inde ab Apostolis ad hæc usque tempora orbis, nunqvam interrupto ordine, credidit, sed impietatem potius moralem, in ipsa denegatione veri Christianismi consistentem, usu Scripturæ perpetuo significare. Audiamus arietem illum, totam mundi hactenus consentientis compagem uno ictu subruentem. So erkante nun Paulus/ (Gal. V. 20.) daß unter den Gläubigen solche Rotten/ (αἱρέσεις) sein müsten und setzte sie dem rechtschaffenen und bewehrten Glauben der Heiligen entgegen/ 1. Cor. XI. 19. als Wercke des Fleisches/ die mit den greulichsten Lastern auffs genaueste verwandt wären/ Gal. V. 20. also daß eines ohne das andere nicht sein und keiner ein rechtgläubiger wahrer Christ heissen könne/ der in einer solchen vorsetzlichen Sünde lebte/ sondern allerdings ein Irriger und Kätzer wäre. In Betrachtung er freylich den wahren Weg zum Leben verliesse und verwürffe/ und entweder seiner Seeligkeit gantz nicht achtete und verlangete/ oder doch bey solchem seinem bezeugen sich selig zu werden getrauete. Beydes ist ja wohl gewißlich ein haupt Irrthum/ dabey es keinem gelingen kan. Ecce machinam, omnem, qvæ in notitia consistit, hæresin funditus, concutientem! Cecidit hæretificationis Babylon, magna illa ab ortu usqve Christianismi ad has usqve mundi feces, ubi lux demum phosphoro *Arnoldo* exorta mirabili DEI consilio est, civitas!.

§. XXX. Sed intueamur nihilominus imperterrito vultu

vultu hunc gigantem! Itaque I. tanta est vis veritatis, ut ipsum *Arnoldum* cogat confiteri, hæresin esse errorem: Es seye gewißlich ein Haupt-Irrthum & hæreticum esse ein Irriger. Quid est, quod desideres amplius? Hæresis est error intellectus & quidem gravissimus intellectus error. Esto hunc errorem ob praxin, quam post se trahere aptus natus est, esse hæresin. Ut Alethæi ille error, Polygamiam esse licitam & introducendam, hæresis fuit, etsi ipse nunquam ullam uxorem, nedum plures duxerit. Hæresis itaque est, si mere doceatur, omnem impietatem esse in Christianismo licitam, etsi impietas nulla exerceatur. Adeoque ipso *Arnoldo* confitente solus error intellectus, ne quidem sequente voluntatis impietate, erit hæresis. Quid amplius desideres? II. Denuo tam obscurum est qualem errorem hæresin esse declaret *Arnoldus*, ut nec conjectari possit, quid velit? Aut enim omnis is error ei est hæresis, qui cum impietate conjunctus est; & sic omnis impietas erit hæresis, quia omnis impietas cum errore conjuncta est. Quotiescunque enim peccat homo, errat ipsius intellectus in agendo, dum sibi putat licere peccare, in quo errat. Si vero omnis impietas est hæresis, cur Apostolus hæresin ut speciem inter reliquas impietatis species numeravit? Aut hæresis ei tantum est præcipuus error, ein Haupt-Irrthum, qui nempe, ut supra *Arnoldum* tradere ostendimus, cum abnegatione Christianismi totius est conjunctus. Et tum, quo vel ad speciem argumento id comprobabit? Aut dicat denique diserte, qua in re proprie hæresis consistat & qua in re hæc hæreseos impietas ab aliis impietatis speciebus differat, ut sciatur denique, quid rei ex hæresi faciat. III. Quod si dixerit *Arnoldus*, quod hæresis non sit nudus error, sed semper cum impietate conjunctus, tum salva ordinaria de hæresi doctrina & hoc concedi potest. Omnis enim error intellectus

tellectus in doctrina ad salutem nos ordinante, e. g. de naturis & persona Christi, de unione personali, de officiis ipsius, de justificatione per solam fidem & de cæteris omnibus in articulorum fidei systemate credendis, cum hac ad minimum impietate conjunctus est, ut DEum faciat mendacem, neque ei credat, veritatem revelanti. Quæ impietas major redditur, quando verba DEI clarissima in sensum, Spiritui revelanti adversum, quod nemo vel Principum Regumque sine summa fert indignatione, malitiose & petulanter contorqvetur & contra recte sentientem contumaciter defenduntur. Præterea & hæc impietas est, neqve cognoscere neqve credere velle, qvæ in nostrum commodum nostramqve salutem sunt revelata, cum ideo scripta sint, ut credantur, Joh. XX. 31. Qvare exipso *Arnoldino* principio immote concludimus: qvicunqve error vel qvæcunqve sententia mentis cum summa impietate conjunctus est, ut DEO revelanti non credat, ut eundem mendacii coarguat, ut verba ipsius in ipso ejus quasi ore contorqueat, ut hunc verbi DEI contemptum pertinaciter defendat, ut per hoc summa mysteria, quæ hunc ipsum in finem, ut credantur, revelata sunt, in dubium vocet, immo neget, is error cum summa impietate conjunctus est, adeoque ipso *Arnoldo* judice hæresis. Atqui cum â Socinianis negatur, quod Christus coessentialis sit cum Patre DEus, Rom. IX. 5. I. Joh. V. 20. â Calvinianis, quod Divina natura humanæ idiomata vere Divina communicaverit, Col. II. 9. â Pontificiis, qvod DEus solus sit religiose invocandus, Matth. IV. 10. & sic in infinitum, hi errores cum summa illa impietate conjuncti sunt. Ergo. Jam IV. Qvæ sunt conseqventiarum monstra? Qvæcunqve hæreses cum aliis horrendis vitiis arctissime sunt connexæ, eæ ipsæ non sunt errores intellectus, sed pariter vitia & peccata proæretica voluntatis. Atqvi hæreses, de qvibus agit Aposto-

Apostolus, Gal. V. Ergo. Porro: qvæcunqve hæreses fidei probatæ sanctorum opponuntur, illæ non sunt errores intellectus, sed vitia voluntatis. Hæreses, de qvibus agit Apostolus, I. Cor. XI. 19. Ergo. Vix credideris, tantarum lectionum tantæqve scientiæ Theologicæ virum tam pueriles nectere conseqventias. Qvid enim, rogo te per DEum immortalem, impedit, qvo minus vitia intellectus cum voluntatis vitiis combinari, simulqve recenseri possint? Cum utraqve sint vitia, utraqve voluntati DEI adversa, utraqve in Christianismo vitanda & fugienda. Cur, id si absurdum sit, alibi tam studiose conjunxit tenebras intellectus & alienationem voluntatis à DEO, ignorantiam coecitatemqve cordis & impudicitiam atqve impuritatem animi? Eph. IV. 18. 19. Immo cur non conjungantur vitia intellectus cum vitiis voluntatis, cum nec hæc sine illis nec illa sine his per ipsam rerum naturam unqvam existere possint? Præterea in loco Galatico non coacervantur vitia voluntatis, sed vitia carnis. Caro vero concupiscit adversus Spiritum, non tantum virtutes morales præcipientem, unde vitia, sed etiam veritatem cœlestem revelantem, unde errores. Deniqve cum hæresis sua indole ad id comparata sit, ut ob doctrinæ novitatem & cum Scriptura Ecclesiæqve consensu repugnantiam Ecclesiam discindat, animos ab invicem alienet, charitatem Christianam perturbet & innumera adeo mala procuret, vel hactenus summa impietatis species est. Et cum propter qvod unum qvodqve tale est, illud magis tale sit, hæresis autem, judice *Arnoldo*, ob summam impietatem hæresis sit, errrorem salutari doctrinæ oppositum, propter qvem impietas illa schismatica impietas est, magis hæresin esse ultro conseqvitur. Denique V. ejusdem plane furfuris altera, qvæ à probata fide desumitur, objectio est. Probata sanctorum fides est, vel qvæ ad normam suam, Sacram Scri-

pturam, exacte conformata est, vel qvæ in ipsismet operibus, normæ illi conformibus, fidei veritatem demonstravit. Jac. II. 18. Qvemadmodum probata juris Romani notita est, vel qvæ in examine conformitatem sui cum corpore Juris Romano, vel convenientiam actionum forensium cum eodem corpore demonstravit. Jam cum Apolus schismata inter Corinthios & deviantes à prima Sacramenti institutione, ab Apostolo in plantanda illa Ecclesia repetita, doctrinas tolerari à DEO hunc in finem profitetur, ut qvi probati sunt, patefiant, hanc ipsam probationem, qvæ ad norman primæ institutionis exigitur, qvam in hunc finem verboten us iterum recitat, intelligit, à qva norma qvicunqve recedant, hæresi sint infecti, qvi vero Sacramentum ad hujus ipsius normæ conformitatem vel celebrent vel accipiant, hoc ipso δόκιμοι probatiqve esse demonstrentur. Esto, eos simul intelligi, qvi non ad præscriptam tantum institutionis regulam, sed præterea & in salutari praxi Sacramento utantur, hæc ipsa tamen cum fructu acceptio priorem illam ad institutionis regulam conformitatem supponit. Ut adeo qvomodocunqve verses Apostoli locum, hæresis nihil aliud sit, qvam electa præter regulam verbi Divini & noviter introducta doctrina, apta ad schismata in Ecclesia exuscitanda, juxta v. 18. Ut adeo tam clare ac sol in meridie lucet, pateſcat, adeo nihil in hoc Apostoli loco praesidii pro *Arnoldi* sententia reperiri, ut vulgaris potius firmissimum in illo reperiat fundamentum.

§. XXXI. Sed videamus jam argumenta *Arnoldi* alia, citra dubium validiora. In præsidium is vocat alia Scripturarum loca, aitque: **Hievon will ich zur Erleuterung bloß die Worte des Apostels selbst nehmen / wie sie nach dem Buchstaben da vor Augen liegen / indeme es ja hoffentlich auff dero Außspruch unter Christen ankommen muß. Petrus nennet außdrucklich falsche Lehrer und**

und ihre verderbliche Secten αἱρέσεις ἀπολείας, II. Petr. II. 1. Judas stimmet mit fast eben den Worten mit ein und Pauli redet von denen Wiedersachern der Warheit / von untüchtigen zum Glauben v. s. f. II. Tim. III. 8. Hæc in ipsa litera, dem Buchstaben nach / auff den es ja hoffentlich unter Christen ankommen müsse / enunciare contendit, quod hæresis non tam in conceptu aliquo & errore mentis, quam in annexa animi malitia consistat.

§. XXXII. Juraveris nonnunquam, ita præconceptam de omnis hæreseos doctrinalis exterminatione destinationem mentem *Arnoldi* occupare, ut sui compos non sit. Nam loca ab ipso allegata universa, quæ in litera suamet sententiam enunciare contendit, non in una tantum litera, sed in omnibus contrarium proclamant. Nam in primo loco II. Petr. II. 1. cui prorsus parallelus est alter, ex Epist. Jud. v. 4. meris verbis hæresis describitur, quæ notitiam potius & falsum intellectus de rebus Divinis conceptum, quam praxin impietatis sua natura & in litera notant. Non quod impietas in hæresi non existat, sed quod primo in falso mentis conceptu resideat & ex eodem in praxin impietatis effluat. Dicuntur hæretici *falsi prophetæ* & *falsi doctores*. Doctrina autem intellectum primo afficit & falsitas in intellectu primo residet. Dicuntur hi hæretici *negare Dominum solum & herum ipsos redimentem, Jesum Christum*. Hoc autem est primo impie de Christo in intellectu sentire & aliquid veri de ipso conceptus, quod nempe sit Dominus & Κύριος, DEus noster, (qua voce Κύριος in N. T. vox יהוה ex V. T. communiter exprimitur) in dubium vocare & negare. Dicuntur denique occasionem hac negatione dare, *ut via veritatis blasphemetur*. Veritas autem notorie in litera primo ad intellectum, non ad voluntatem pertinet, & adeo viam veritatis negare & blasphemare est modum illum & rationem, qua per veram

confessionem Divinitatis & redemtionis Christi, in animo nostro per fidem apprehensæ, salutem adipisci debemus, inficiari, contemnere, male & impie de eo loqui. Quæ omnia ad intellectus conceptus primo & manifeste spectant & ex hoc demum & per hoc in contemptum & blasphemiam veritatis defluunt. Quæ cum ipsis oculis, quamprimum leguntur, obvia sint, pudenda temeritas est, provocare ad literam, quasi illa hæreticos illos ab impietate potius morali, quam à negatione veræ doctrinæ describeret. Plane eodem modo sese res habet circa tertium ab Arnoldo adductum locum, II. Tim. III. 8. In illo enim postquam Paulus extremo tempore omnis generis impios homines surrecturos esse indicasset, iisdem ultimo loco associat eos, v. 7. qui muliercularum exemplo *semper discunt & nunqvam ad agnitionem veritatis deveniunt.* Discere autem est intellectus & agnitio est intellectus, & veritas ad intellectum primo & in litera pertinet. Eos Apostolus porro comparat magis Ægyptiacis, miraculis Mosaicis alia miracula, quo minus verus DEus Jsraëlis agnosceretur, opponentibus: *resistebant*, ait Paulus, *veritati.* Veritas autem primo & in litera est opus intellectus. Denique eos dicit esse *corruptos mente*, id est, intellectu & ἀδόκιμους περὶ τὴν πίστιν, *expertes judicii circa ea, qvæ credenda erant.* Judicium autem circa credenda est intellectus, non voluntatis. Ecce tot sunt immota in ipsa litera horum textuum argumenta, qvæ convincant, hæresin esse Apostolo primo errorem intellectus, qvamqvam ex hoc errore variæ impietatis fructus simul profluere non inficietur. **Es würd ja verhoffentlich auff den klaren Außspruch und auff den so offt wiederhohlten Buchstaben der Apostel ankom̃en.**

§. XXXIII. Non facile apparet, qvam vel speciem suæ de hæresi sententiæ ex locis illis adfingere *Arnoldus* possit. Nam si ita velit, ceu primo forte apparet, ratiocinari:

hæresis

hæresis dicitur hæresis ἀπολείας seu perditionis, qvæ nempe in perditionem seu exitium præcipitat: ergo est impietas moralis vel abnegatio Christianismi; tum principium manifeste petit, assumendo suammet hypothesin tanquam veram, quod nempe nullus error in se sit damnabilis, cum tamen ex ipsius Christi effato sola abnegatio Divinitatis ipsius, immo sola ignorantia, præcisa omni alia impietate, mortem æternam inferat. Joh. IIX. 24. Joh. XVII. 3. Quælibet hæresis est hæresis ἀπολείας, sive in materia versetur ad intellectum, sive ad voluntatem pertinente, idque ex litera hujus ipsius loci probatur. Quamquam una hæresis, prout Christum meritumque ejus directe magis negat vel indirecte, mortem inferat & exitium vel remotius vel propinquius. Sicut omne venenum occidit, unum tamen citius, alterum tardius, prout cor magis attingit & opprimit, quam alterum. Deinde si velit ex loco Paulino, ut videtur, hunc in modum argumentari *Arnoldus*: hæretici dicuntur ἀδόκιμοι, *inepti ad fidem*, ergo per voluntatis malitiam fiunt hæretici: tum iterum monstrum hoc est consequentiæ. Aliud est causa efficiens, medium & occasio hæreseos, aliud ipsa forma & essentia illius. Ambitio & superbia causa sunt seditionis & tumultus contra magistratum excitati & consequentis inde cædis; ergone cædes magistratus in ambitione consistit? Otia dant vitia, ergo vitia in otio consistunt, vel ab otio sunt inseparabilia? Præterea Apostolus non dicit: corrupti voluntate vel corde, (qva voce nonnunqvam voluntas exprimitur) sed corrupti τὸν νῦν, intellectu ἀδόκιμοι reddunturad fidem, eo nempe, qvod intellectum suum variis circa religionem deliriis impleverunt, semetipsos ἀδοκίμους, *ineptos* & judicii expertes reddiderunt, ad doctrinam & veritatem Christianam è S. Literis recte & solide percipiendam.

§. XXXIV. Dices: id tantum *Arnoldo* agendum esse, ut probet, non dari hæresin, seu errorem damnabilem, sine conjuncta errori impietate. Respondetur I. id vero ex adductis locis non probari, sole clarius ostensum est. Non erant loca nude alleganda, sed qvomodo id ex iisdem seqvatur, evidenter ostendendum. II. Solum etiam intellectus errorem, nulla accedente vel malitia vel pertinacia, damnabilem esse pariter probatum est. III. Impietas & abnegatio veri Christianismi dupliciter hæresi conjuncta dici potest; primo ut pars hæresis essentialis; & ita conjunctam esse hæresi impietatem ex nullo argumentorum adductorum probari potest, deinde ut ejus effectus, ad qvem, nisi impediatur, tendit. Dico: nisi impediatur. Vera enim perpetuo est Aristotelis regula: omnis causa agit, nisi aliqvid impediat aut obstet. Atqve sic verum est, cum omni hæresi conjunctam esse impietatem, tanqvam ejus effectum. Omni enim errori conjunctus ad minimum est contemptus DEI, oppositam veritatem revelantis, isqve vel formalis, si defendatur error vel scienter & volenter, vel scientia & voluntate interpretativa, eo nempe casu, qvo poterat & debebat veritatem oppositam cognoscere, Deoqve gloriam veritatis suæ reddere. Qvo itaqve vel neglectus indagandæ veritatis, vel pertinacia defendendi erroris major est, eo minus impedimenti est, ut damnationem attrahat. Gravioribus vero hæresibus plures etiam & graviores impietatis effectus adhærent. Utpote negatæ Christi Divinitatis, neglectus cultus DEO debiti, aut si eundem Christo tanquam nudæ creaturæ reddas, præsentissimum idololatriæ periculum. Negata item Christi satisfactio & consequenter fidei justificantis. Atque ita quoque de cæteris hæresibus. IV. Supposito, non concesso, hæresin non damnare actu, nisi accedat impietas moralis, id tamen impedire

pedire non potest, quo minus hæresis numeretur inter errores damnabiles & præsentissimum impietatis & damnationis periculum attrahentes, adeoque ex Ecclesia merito excludendos & anathematizandos. Sicut ex cibis & medicamentis venenum excluditur, non tantum quia actu mortem aliquando infert, sed simpliciter, quia inferre potest & causa verissima est, concilians mortem, nisi aliquid impediat.

§. XXXV. Atque ita hactenus pro sententia sua ex Apostolico vocis hæreseos usu disputavit *Arnoldus*. Nunc ad aliud progreditur argumentum, qvo idem comprobare intendit, qvod ex fundamento fidei & salutis nostræ desumptum est, cui nempe hæresis juxta ipsam communiorem sententiam opposita est. Juxta hanc enim hæresis vulgatissima definitione est error in fundamento. Si itaque obtinuerit *Arnoldus*, in fundamento non errare ullam Christianorum sectam, sed in eodem amicissime conspirare, ultro consequetur, nullam dari inter Christianos hæresin aut errorem damnabilem. Quare hoc struit ponitque fidei & salutis Christianæ fundamentum: Daß die Menschen in dem allergräulichsten Elend und Unruhe von Natur liegen und in ihren eigenen Begierden GOttes Feinde/ hingegen aber Sclaven der bösen Geister und Menschen/ wie auch ihres eigenen bösen Willens seynd. Wie sie auch ihnen selbst daraus zu helffen weder wissen noch können und ferner allein zu der Erbarmung ihres Schöpffers fliehen müssen. Ferner wie sie zu dem gerechten und erzürnten Schöpffer nicht kommen dörfften; wo nicht dieses Göttliche Wesen in seiner ewigen Liebe einen Fürsprecher und Versöhner hervor gebracht und die Menschen an ihn gewiesen hätte. Zu dem müssen sie sich durch die Anregung seines Geistes/ auff die freundliche Einladung des Evangelii/ ziehen lassen und in ihm

die

die Befreyung suchen / so dann auch in der Erkäntligkeit ihme zu Gefallen leben und die Ursachen ihrer Unruhe und Verdamniß folgendes nach und nach hinweg nehmen lassen.

§. XXXVI. Priusquam ad oppositum hujus fundamenti nempe hæresin progrediamur, duo in hoc fundamento notanda nobis erunt. Primo quod hoc fundamentum commune sit omnibus Christianorum Sectis, immo & Judæis. Nam & Pontificii & Calviniani & Sociniani & Arminiani & Anabaptistæ & Enthusiastæ & quicquid ullibi religionum vel solo nomine Christianorum est, confitentur humanæ naturæ summam corruptionem, ex qua nonnisi DEI ope eluctari qveamus. Agnoscunt omnes, DEum nobis ordinasse propitiatorem & intercessorem, quem adire & audire oporteat. Ejus Spiritui nos per Evangelium ad se vocanti, obsequendum & liberationem â peccaminoso statu nostro efflagitandam esse. In ipso liberationem â miseria nostra & peccatorum extirpationem quærendam esse. Quin nec ipsosmet Judæos de Messia suo aliter sentire, productis ex Talmude documentis probat *D. Majus*, in Synopsi Theologiæ Judaicæ, loc. VII. p. 147. Quid itaque hoc fundamentum Arnoldinum aliud est quam Indifferentismi fundamentum ? Poterant equidem isthæc singula recto sanoque sensu, prout is ex Scriptura determinari potest, intelligi, sed id nec optaverit Arnoldus, nec concesserit, cujus unus scopus eo tendit, ut fundamentalia ita dilatet, ut omnes sub iisdem religiones delitescere possint. II. In fundamento Arnoldino omissi sunt omnes articuli fidei principalissimi, sine quibus fides in Christum, mundi servatorem, in quo solo salus nostra recumbit, Act. IV. 13. neque oriri neque existere potest. Utpote articulus de SS. Trinitate, quæ uti in initiationis Sacramento, per quod tanquam per januam in salutis

lutis æternæ possessionem nobis introeundum est, Tit. III. 5. 6. 7. & sine qvo nemo salutis æternæ particeps redditur, Joh. III. 5. 6. immò nec bonâ coram DEO conscientiâ frui potest, 1. Petr. III. 21. se nobis clarissimè manifestavit, ita qvoqve necessariò cognoscenda & adoranda à nobis est, si effectus Baptismi participes reddi cupimus. Omissus porro est articulus de Filio DEI, unico Servatore nostro, qvi cum justitiæ Divinæ sangvine suo pretioso satisfecerit, iramqve Divinam, in peccata nostra accensam, placaverit, qvod à nudo homine fieri non poterat, Rom. IIX. 32. qviqve adeò Divinitatem suam & verbis disertis freqventissime & per Apostolos, miraculis item atqve virtutibus omnibus patefecit, Rom. I. 4. IIX. 32. 1. Joh. V. 20. ignorari a nobis ejus Divinitas simpliciter non potest, cum in ejus cognitione vita æterna posita sit, Joh. XVII. 3. Imprimis cum hunc Servatorem nostrum quotidie in precibus nostris invocemus, & tanquam DEum Dominumque nostrum adoremus, cujus si Divinitas cognita nobis non esset, idololatriam committeremus, cum DEus solus sit adorandus, Matth. IV. 10. Jer. XVII. 5. Omissus est articulus de satisfactione Christi, qui semetipsum dedit λύτρον pro peccatis nostris, I. Petr. I. 18. 19. in quem DEus Pater omnia peccata nostra projecit, qui nostri loco peccatorum pœnas sustinuit, nosque per hanc passionem Deo iterum reconciliati sumus. Esa. LIII. 7. 6. Tantum tamq; imensum beneficium poteritne â quoquam hominum, ad salutem adspiraturo per Christum, qui ideo unicum salutis nostræ fundamentum est, I. Cor. III. 11. ignorari? Omissus est denique articulus de sola fide, hæc tot beneficia firma fiducia apprehendente, qua sola, non vero ullis nostris aut legis operibus, coram DEO comparere & cum justitiæ in hoc mundo, tum salutis in altero participes reddi possumus & debemus. Rom. III. 23. s. Possunt ne hæc beneficia sine unico apprehendendi instrumento, ejusque notitia apprehendi?

hendi? Quæ vero omnia singulaque, immo & alia his necessario connexa, in suo fundamento alto silentio involvit *Arnoldus*, solius miseriæ hominis & liberationis ex eadem, per DEI gratiam & reconciliationem Christi, a quo liberationem à miseria petere debeamus, generalissime & ita mentionem facit, ut quælibet Christianorum sectæ vtraque illa manu admittere possint. Quæ enim quærenda à Christo ex connata miseria liberatione memorat, ea nequaquam de imputata Christi justitia, à peccatorum reatu nos gratis absolvente, quæ apud *Arnoldum* in profundo utique puteo jacet, sed de liberatione è dominio peccati per gratiam, pravæ voluntati obicem ponentem & carnis desideria supprimentem, intelligit. Atque hoc esse per Christum ex miseria liberari contendit.

§. XXXVII. Jam posito hoc fundamento magna cum gravitate & autoritate quasi Apostolica concludit *Arnoldus*: Welche diesen Grund annehmen und das Geheimniß in reinem Gewissen bewahren / die hiessen denen Aposteln Gläubig und Rechtgläubige / heilige Brüder / ꝛc. Dann alles war bey ihnen beysammen / weil sie den Glauben nicht in blossen Speculationen oder meinungen / Streit-Fragen / Wort-Gezänck / oder leeren Sätzen suchen / sondern in der Krafft / That und Warheit. Welche aber entweder in Heucheley oder öffentlichen Unglauben Ihn verworffen / die wahren irrig und verkehrt. Hunc in finem prolixe corradit, quæcunque in Epistolis Paulinis, scriptisque Novi T. aliis, de abjiciendis hujus mundi sordibus, de ambulando in viis Domini, de deponendis tenebrarum operibus & induendis justitiæ armis, de fugienda abnegatione Christi & permutatione ejus cum inquinamentis hujus seculi leguntur & amplius concludit, §. 6. Diesem nach war das Wesen und der Grund aller Irrthüme ein blosser verderbter Will / der sofort den Verstand

stand auch auff seine Seite zog / weil dieser nichts anders fassen und annehmen kunte / was jener nicht zuvor erwehlet gehabt. Exinde digreditur iterum in descriptionem hominum impiorum & infidelium, ab hæreticis & falsis doctoribus seductorum, qui nempe ad vitam minus Christianam alios traducant, immo juxta Petrum ad flagitia, Sodomiticis pejora. Und damit man nicht meine / Petrus halte nur ihre Irrthümer im Verstand eben so gefährlich / als jener ihren verderbten und verkehrten Willen und würckliche Sünden / so erkläret er sich handgreifflich also: Sie wären wie das unvernünfftige Viehe / höreten nicht auff zu sündigen / wären Knechte des Verderbens und wolten doch viel von der Evangelischen Warheit und Freyheit wissen / II. Petr. II. 4. 5. f. Und das thäten nicht nur gemeine Leut / sondern auch Lehrer / qui nempe jam tum avaritiæ, voluptati, superbiæ dediti fuerint. Quæ verissima sunt hæreseos signa. His fuisse obviam itum admonitionibus, cohortationibus, explorationibus, quibus covincerentur de malitia sua. Gestalt es hie auff ein kräfftiges Uberzeugen / Bestraffen und besseren in Beweisung des Geistes ankam / keines Weges aber auff Schelten / beschuldigen und andere verbitterte Weise. Denn das hiesse nicht denen Wiedersachern das Maul stopffen / sondern vielmehr aufftun. Wenn er nemlich Unrecht leydet / zur Verantwortung und Beschwehrung / wann er aber schuldig ist zum Wiederschelten. Quod si admonitionibus & convictionibus nihil apud hæreticos illos practicos efficiatur, so muste man sie fahren lassen und meiden / Tit. III 10. Und ihre Wercke hassen. Ap. II. 6. Hingegen muste man in dem bleiben / was einem von GOtt anvertrauet war und alle thörichte Unfruchtbare Fragen / Zänckereyen und Streitigkeiten der Schrifftgelehrten / alle Fabeln Geschlecht-Register und

gegensätze der falschberühmten Kunst weg werffen / sie möchten bey etlichen noch so nötig und rechtgläubig scheinen / Tit. III. 9. Sufficere quod ejusmodi homines tandem semetipsos confusuri & condemnaturi sint. Da ward an kein Verfolgen / Verjagen / Einsperren / Schmähen / Schlagen / Umbbringen und andere Gewaltthätigkeit gedacht. Hæc *Arnoldus*, ingenti & plusquam Divino zelo contra hæretifices, Indifferentismi sui juratos hostes, quæ in compendium contrahi necesse fuit, ne nimia prolixitas crearet tœdium.

§. XXXVIII. Respondetur ad tumultuosissimum hunc mordacissimumque discursum. I. Quæcunque conclusio falso nititur principio, eam & ipsam falsam esse necesse est. Atqui hæc *Arnoldi* conclusio. Ergo. Probatum id sole clarius paragrapho ultimum antecedente. Quale enim salutis præsidium & fundamentum est, quod media omnia ad salutem perveniendi, eorumque notitiam excludit? Quali fundamento gaudet ad civilem in Rep. felicitatem perveniendi, qui leges civiles, ceu media felicitatem illam procurandi, ignorat? Aut qui generalissimam tantum & indeterminatam eorundem habet notitiam? Anne qui artificio cuipiam admovetur, ad victum pro se quondam comparandum, domesticamque procurandam salutem, verum solidumque artis suæ fundamentum ponit, qui artificem sese docentem externa tantum facie novit, nisi intimum ejus genium indolemque penetret, ut quid velit, dum docet, quam accuratissime cognoscat? qui instrumento quidem ad hunc illumve effectum efficiendum utendum esse novit, sed quali sit utendum, acuto an obtuso, ignorat? Stolidum est crepare, Christum quærendum esse, qui â congenito nos malo & infelicitate inde contracta liberet, & ignorare, quis sit Christus, aut superficietenus tantum scire & veram ejus rationem, qua nobis

bis subvenire vel possit vel velit, ignorare. Stupidum est scire, Christum ab infelicitate nos nostra liberare velle & ignorare, quo medio id facere velit, sola nempe passione sua & merito vicario, sola fide apprehenso. Frivolum est scire, sola nos fide salvari, & ignorare, quid ad fidem requiratur, ut ab operibus & vana persuasione differat. Fundamentum in quacunque re solidum firmumque solidam quoque firmamque earum rerum, quæ ad fundamentum requiruntur, notitiam requirit. Non sufficit, ut architectus fias, si sciveris, securi tibi opus esse & serra & regula, sed quomodo hæc singula comparata esse debeant, sciendum tibi est. An frustra hæc omnia revelata sunt, quæ in nostrum usum revelata sunt? DEum ab æterno genuisse Filium, hunc Filium in tempore factum esse hominem, agendo patiendoque λύτρον pro peccatis totius generis humani persolvisse mortuum esse, resurrexisse, ascendisse in cælos, Ecclesiam collegisse, ut quotquot fide eundem reciperent salvarentur? Literane de his omnibus una est in Fundamento tuo, *Arnolde?* Nempe juxta *Arnoldum* seynd das alles thörichte und unfruchtbahre Fragen / Zänckereyen und Streitigkeiten der Schrifftgelehrten und Gegensätze der falsch brühmten Kunst. Quia in fundamento *Arnoldino* non continentur. Juxta quod sufficit, carnis suæ agnoscere corruptionem, confugere ad Christi doctrinam, abjectis peccatis vivere secundum voluntatem Divinam, parum de speculationibus, opinionibus & controversiis solicitum esse.

§. XXXIX. Jam II. ne qvidem sufficit ad salutem fundamento, qvantumlibet vero & solido, nedum laxissimo illi & ad fallendum decipiendumqve comparato, inniti, reqviruntur etiam alia fundamenta, præsidiaqve, qvibus semel acqvisita salus muniatur & conservetur. Non minor est virtus qvam qværere parta tueri. Debent freqventi

S. Literarum ſcrutinio dogmata illa fundamentaliſſima, de perſonarum Divinarum Trinitate, de Divinitate Filii DEI coeſſentiali, de ſatisfactione illius pro peccatis totius mundi, de ſolâ fide juſtificante & qvæ his connexa ſunt, firmari & immota reddi, ſi ab adverſariis veritatis in dubium vocantur, ad ſangvinem usqve defendi, iisqve, qvi ad errores illis oppoſitos ſeducere volunt, reſiſti & contradici, immo os obſtrui, Tit. I. 11. è contra iis doctrinis inhæreri, qvæ ſanæ ſunt, neqve verbo Divino adverſæ, Tit. II. 1. Idqve exemplo Chriſti & Apoſtolorum, qvi ne qvidem ad horam ceſſerunt vel Judæis vel falſis Apoſtolis, ut veritas perſtaret immota. Rixabatur Chriſtus cum Phariſæis qvotidie, **er zanckte ſich mit Jhnen**/ de perſonâ Chriſti, Matth. XXII. 41. ſ. Joh. VII. IIX. Incuſat eos, **beſchuldigte ſie**/ qvod cœlum ingreſſuris oſtium occludant, qvod viduarum domos devorent, qvod proſelytos æternæ damnationis faciant, qvod Prophetas DEI occidant, Matth. XXIII. 14. Amariſſimis inſuper acerbiſſimisqve eos verbis, **mit allerley verbitterten Worten** / inceſſebat, hypocritas, ſtultos, cœcos, ſerpentes & aſpides appellando, adeò ut furore incenſi lapidibus ipſum impeterent, Joh. IIX. 59. X. 31. Idem ad exemplum magiſtri ſui & Apoſtoli fecerunt. Ecce, non ſufficit, fundamento, qvod eſt veritas cœleſtis dogmatum, ad ſalutem ſcitu neceſſariorum, inniti, ſed æqvè neceſſarium eſt, pro conſervandâ veritate contra hoſtes illius ſeriò fortiterqve depugnare, errores eidem oppoſitos, tanqvam venena, fundamento inſidias ſtruentia, rejicere & condemnare, id ſi pro indole adverſariorum, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, ad teſtandum intemeratum pro veritate amorem, etiam cum ſacris convitiis & maledictis, (anathemata vocat Apoſtolus) in adverſarios jactis fiat. Qvas ſanctiſſimæ fidei defenſiones, pro gloriâ DEI ſuſceptas, profano convitio **der bloſſen** Speculationen **oder Meinungen**/

nungen/ Streitfragen/ Wortgezänck und leeren Sätzen/ conspurcare ab animo verè Christiano alienum meritò esse debet.

§. XL. Ex dictis III. consequitur, falsò ex fundamento suo concludere *Arnoldum*, hæreticos verè tantum eos esse, qvi fundamento à se posito reluctentur, illudqve destruant. Cum id eo tantum sensu intelligat, qvod non sufficiat destructio vel negatio doctrinæ, in fundamento suo, qvantumlibet laxissimo & generalissimo consideratæ, qvoad mentis conceptum, sed qvod exaudiendum id sit de negatis solummodo doctrinæ operibus, aut de eâ saltem doctrinâ, qvæ ipsa mala opera docet & injungit; ut si qvis persvasus sit, doceatqve, scortationi & adulterio sine jacturâ salutis operam dari posse. Qvæ persvasio ex principio, Indifferentismo non minus conformi, exoritur, qvod *fundamentum omnium errorum purè sit corrupta voluntas, qvæ intellectum illicò in partes suas pertrahat, qvia sic qvicqvam aliud neqve capere neqve amplecti possit, qvam qvod illa prius elegerit.* Qvod si verum est, falsum erit illud summi Numinis: *omne figmentum cogitationum cordis tantum malum esse*, & intellectus perpetuus servus erit voluntatis, neq; unqvam officium suum intellectus, in qvod per creationem à DEO depositus est, ut voluntati consulat, eamqve moveat, exeqvetur. Cur verò non suapte sponte, connexiones rerum & momenta alia non rectè considerando, in errores prolabi intellectus & desidiæ ideò suæ pœnas dare possit? Qvi sine DEI timore, qvod faciunt hæretici, vel legunt S. Literas vel interpretantur, qvid mirum est, in errores sine singulari voluntatis vel pertractione vel coactione prolabi? Ut tamen error, qvia veritati eum in finem, ut crederetur, revelanti adversus, qvia ad destruendum fundamentum & dogmata fundamentum constituentia suamet indole comparatus, qvia intellectus

tellectus non minus, qvam scelera sunt voluntatis, vitium, nec DEO, utriusqve æqvè creatori, minus abominabile est, & qvia voluntatem non minus in consensum contemptus revelantis DEI, qvam voluntas nonnunqvam intellectum in consensum contemptus præcipientis DEI pertrahit, ne hilo qvidem minus periculosus sit, quam quodlibet voluntatis peccatum.

§. XLI. Qvod IV. ad locum ex posteriori Petri Epistolâ adductum spectat, non diffitetur *Arnoldus* ipse, non excludere Petrum ex hæreseon classe etiam periculosos intellectus errores. Et qvomodo excludere poterat, cum loqvatur *de falsis doctoribus*, doctrina verò ad intellectum primò & ut Philosophi loqvuntur, formaliter pertineat, immò intellectus operatione essentialiter absolvatur, qvicqvid verò vitii & impietatis in ipsis doctoribus ex eadem seqvitur, ad effectus potius hæreseos, qvam internam ejus rationem pertineat. Atqve de his falsis doctrinis & intellectus erroribus primariò loqvi Petrum, evidenter qvoqve exinde patet, qvod statim subjiciat, hæreses illas & falsas doctrinas in eo fore positas, ut *abnegent eum, qvi ipsos mercatus est, Dominum.* Stupidum esset, id intelligere de totali abnegatione Christianæ religionis & prolapsu vel ad gentiles vel ad Judæos; ita enim hi sectarii non *subrepererent*, (παρεισδύειν est apud Judam) aut clam & subdole *subintroducerent*, (παρεισάγειν habet Petrus & Paulus, Gal. II. 4.) sub Christianæ pietatis nomine hanc hæresin, sed Christianam religionem prorsus desererent, neqve sectas facerent in Christiana religione, sed ad gentiles Judæosque deficerent. Quare abnegare eum, qui ipsos mercatus est, Dominum, aliter intelligi per rerum & circumstantiarum naturam haud potest, quam quod hi hæretici abnegaturi sint Divinam Christi naturam, τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν χριστὸν, ut est apud Judam; id est, negaturi sunt, Chri-

Christum esse solum verum DEUM Dominumq; nostrum, extra quem non sit DEus. Quâ notabili descriptione omnes eos hæreticos manifestè innuit, qvi Christum qvidem DEum ob virtutum in ipso latentium eminentiam & Divinitatem dici posse concesserunt, sed Solum esse DEum & universi Dominum sunt inficiati. Qvales fuerunt omnes illi à temporibus usqve Petri ad præsens nostrum ævum hæretici, qvi veram proprieqvè dictam Christi Divinitatem negarunt. Utpote statim post Petri ætatem Cerdon, Ebion, Apelles, Theodotus, aliiqve, inprimis seculo IV. Arius, ejusqve asseclæ, nostro tempore Socinus & innumeri alii, clamve palamve detestabili huic hæresi adhærentes. Quod ex eo porrò evidenter apparet, quod hi dicantur ἀρνούμενοι τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην, *denegantes dominum*, qvi ἠγόρασε ἡμᾶς τῷ Θεῷ ἐν τῷ αἵματι σου, *emit nos DEO sangvine suo*, Apoc. V. 9. At verò hoc ipsum negant Ariani & Sociniani, qvod δεσπότης, *Dominus Dominorum*, ipse universi mundi creator, DEus DEo Patri coessentialis, nos ex inferni faucibus, in qvibus à justo judice ob peccata nostra detinebamur, suomet, id est, *proprio DEI sangvine*, Act. XX. 28. id ipsum sustinendo, qvod nos sustinere debebamus, Esa. LIII. 5. 6. vices adeò nostras subeundo, redemerit. Nec etiam ulla unqvam inter Christianos aut fuit hæresis aut hodie est, qvæ aliter neget, Dominum & DEum nostrum, JEsum Christum esse Dominum & DEum nostrum, sangvine nos suo redimentem, nisi ea, qvæ negat, Christum, qvâ est DEus, cum Patre essentialiter unus, per sangvinem DEo sine ullo tropo proprium, ita nos redemisse, ut illam ipsam pœnam, quam nos peccatis nostris promerueramus, nostri loco sustinuerit. Ergo impossibile est, ut alia hæresis à Petro qvam Arianorum & Socinianorum intelligatur. Et qvid dicemus amplius? In versu statim seqvente ψευδοδιδασκαλίαν falsorum

rum doctorum Petrus deviationem *à viâ veritatis* appellat. Via veritatis nihil aliud est qvam complexus religionis Christianæ, præscribens primariò, qvid credi & cognosci oporteat, ut Christianus sias, dein qvid agi oporteat, ut Christianismo dignè ambules. Ita Apostoli annunciarunt *viam salutis*, Act. XVI. 17. *viam Domini*, *viam DEI*, Act. XIIX. 25. 26. Qvæ denominatio adeò primis Christianis placuit, ut Christianam religionem etiam simplici *viæ* titulo insignirent. Act. IX. 2 XIX. 9. 23. XXII. 4. XXIV. 14. Jam autem via ad salutem primo est cognitio DEI Patris & Filii. Joh. XVII. 3. Et impossibile est, viam & modum tenere, qvo Christiani, qvâ Christiani sunt, ad salutem perveniant, nisi primò omnium sciant & cognoscant, qvis sit ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως, Hebr. XII. 2. & ipsa via, veritas & vita, Joh. XIV. 6. qvidqve nostri causa, ut salvari possemus, sustinuerit feceritqve, qvid deniqve nobis faciendum sit, ut salutem assequamur, nempe credendum esse in Christum, hacqve solâ fide sine ullo opere justitiam & salutem qværendam, Rom. III. 28. Ex qvo invictè sequitur, hæresin esse, cum vel sola hæc notitia, qvæqve eidem indivulso nexu cohærent, vel læditur vel labefactatur, idqve qvia via DEi, cui hæresis opponitur, Act. XXIV. 14. intervertitur & saluti injicitur impedimentum. Qvare adeò falsum est, Petrum hæresin constituere in praxi horrendorum vitiorum, ut potius in ψευδοδιδασκαλία, in falsâ viæ salutis doctrinâ, qvæ ad intellectum, ejusque operationes formaliter pertinet, unicè ponat. Dices: annon per totum caput tetra illa hæreticorum vitia recensentur & exaggerantur? Respondetur, non ut in iis hæresis consistat, ut ineptè colligitur, sed ut adjuncta & effectus hæreseos, in uno plures & majores, in altero pauciores minoresqve exaggerentur. Nam & ars simulandi & dissimulandi, qvæ ψευδοπαλλική est, formaliter in notitiâ tech-

technarum præstigiarumqve, qvibus alios circumvenimus, consistit & huic tamen hominum generi omne genus vitiorum, uni minus, alteri magis adhæret, qvæ verò essentiæ Pseudopolitices neqvaqvam involvuntur.

§. XLII. Postremo, qvæ de modo cum hæreticis agendi subnectit *Arnoldus*, eo tendunt universa, ut nemo ob quamcunque doctrinam erroneam, ne quidem sui ipsius fundamentum generalissimum destruentem, ullam molestiam patiatur, quamdiu doctrinam istam cum actuali impietate non conjungat, sed in Ecclesia perinde ut alii toleretur, cum sententiæ mentis cuiqve liberæ sint relinquendæ, neque quisquam in regno Indifferentistico ob merum intellectus errorem vim qvamcunqve pati debeat. Si quidquam contra hæreticos agendum scribendumque sit, **so komme es auff ein kräfftiges überzeugen / bestraffen und besseren in Beweisung des Geistes an / keinesweges aber auff Schelten / Beschuldigen und andere verbitterte Weyse. Denn daß heisse nicht denen Widersachern das Maul stopffen / sondern vielmehr auffthun. Wenn sie nemlich unrecht leiden / zur Verantwortung und Beschwehrung / wann sie aber schuldig seind / zum Widerschelten.** Hanc *Arnoldi* fidelem admonitionem si observasset magister noster Christus, fatum, quod severius contra hæreticos disputantibus juxta *Arnoldum* perpetiendum est, non subiisset. Nam cum aliquando Judæos amarioribus verbis objurgando, ac si Diabolo nati essent, incusasset (**gescholten und auff verbitterte Weise beschuldiget**) id ipsum præmium, quod *Arnoldus* talibus disputantibus hic prædicit (**nemblich das Wiederschelten**) evestigio reportavit: **Du bist ein Samariter und hast den Teuffel.** Quin & pejore fato usus est. Nam cum instaret redarguendo, eosdemque mendaces vocando, lapides sustulerunt, ut in illum projicerent. Joh. VIII. 44. 48. 55. 59. Quid vero *Pe-*

trus, quem tantopere pro sese adduxerat, laudaveratque *Arnoldus*, an is forte, hæreticos refellendo moderatissimum *Arnoldi* consilium secutus est? Invehitur in eos inaudita acerbitate, insectatur, dilacerat, maledicit. Vocat eos *irrationabilia pecora*, *coinquinationes & maculas*, *oculos habentes plenos adulterii & incessabilis delicti*, *pellicientes animas instabiles*, *cor exercitatum avaritia habentes*, *maledictionis filios*, *fontes sine aqua*, *nebulas turbinibus exagitatas*, *quibus caligo tenebrarum reservatur*, *superba vanitatis loquentes*, *servos corruptionis*. Prætereo cætera. Hæcne, dicas cum *Arnoldo*, modestia tua est Petre? Hocne os est hæreticis obdurare? Jam quid historia *Arnoldi* Ecclesiastica hæreticis sui generis denudandis & refellendis unice destinata, aliud est quam amaritudinum & suggillationum & detractionum quædam quasi confluges? Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Quæ vero de hæreticorum in cœtu publico tolerantia & ab Ecclesiastico cœtu per excommunicationem, prævio legitimo procedendi modo, exclusione itemque, si alios seduxerint, aut turbas alias excitaverint, etiam ex civili societate relegatione, in Ecclesia nostra à doctoribus disputentur, non ignotum est. Et quamquam Apostolorum tempore quicunque hæretici, etiam seductores & turbas excitantes, in Ecclesia Christiana tolerari debuerint, quia destituebantur potestate civili, a qua executio dependet, exinde tamen non sequitur, & postea, ubi Ecclesiis Christianus obtigit magistratus, Ecclesiæ tutor & curator, eosdem pariter tolerari debuisse. Quo vero de argumento, cum ab instituto nostro remotius sit, alibi â Theologis fusius agitur.

§. XLIII. Consideravimus hactenus argumentum *Arnoldi* secundum, quo probare intenderat, ex Apostolicæ Ecclesiæ more pro hæresi non fuisse agnitum quemcunqve

cunque errorem, in solo mentis conceptu consistentem, quod deducebatur ex natura fundamenti totius Christianismi, quod cum nihil labefactet aut destruat, nisi pecccatum mortale, quod solum nos à Deo, summo bono nostro & salutis nostræ basi, separet, ultro consequi, nudam intellectus nostri imaginationem hæreseos damnabilis rationem habere non posse. Nunc ad novum argumentum progreditur, quod §. X. capitis ejusdem tertii ex testimonio & suffragio doctorum Ecclesiæ, Apostolorum temporibus aut coævorum aut proximorum, *Ignatii* & *Irenæi* deducit, qui hæreseos vocem nunquam aliter intellexerint, quam de fidei Christianæ perflagitiosæ & Epicureæ vitæ impietatem prostitutione, non vero de inani otiosæ mentis ludibrio. Ex quo evidenter constet, toto illo Apostolicæ ætatis tempore, id est, seculo primo, aureo illo & reliquorum omnium exemplo, hæresin nunquam pro nudo intellectus errore habitam fuisse. Verba *Arnoldi* sunt: Ignatius beschreibet eben auch die / welche falsche Meinung gehabt wieder die Gnade Christi / und also freylich irrig gewesen / dergestalt daß er lauter Früchte des Unglaubens erzählet / als die Liebloſigkeit / Undanckbarkeit und Verachtung des Gebots. Und Irenæus sagt noch außdrücklich / dieses seye das Kennzeichen aller Abgesonderten oder Kätzer / daß sie das Wort GOttes nicht zu Hertzen nehmen und mit keinen Wercken der Gerechtigkeit gezieret sind / und doch gleichwol immer sagen: HErr / HErr / ungeachtet sie nicht thun / was er sagt. Sie sagen zwar / sie glauben an den Vater und Sohn / aber sie bekertzigen das Wort GOttes nicht / wie sie solten / leben / NB. wie die Hund und Schwein / in Unreinigkeit / Fressen / Sauffen und übrigen Uppigkeiten. Dahero sie auch umb ihres Unglaubens und Unreinigkeit willen den Geist nicht erlangen und das lebendigmachende Wort von sich außstossen.

§. XLIV. Ex primo seculo, secundique initio, ad quod *Irenæus* ab *Arnoldo* adductus spectat, pauci supersunt in scriptis patres, ut ex hoc manipulo totius eo tempore Ecclesiæ circa hæreticos sententia cognosci dijudicarique non possit. Si itaque unus alterque ejus ætatis scriptor, de hæreticis quidpiam memorando, eosdem â profligatissimæ tantum vitæ instituto descripsisset, utrum ex hoc tantillo numero de universa Ecclesia Apostolica, quæ jam tum ad Antiochiam usque, imo ad Romam doctores suos Episcoposque diffuderat, ejusque de hæresi atque hæreticorum definitione sententia tuto cognosci posset? Præterea sunt & alii non *Irenæo* tantum, sed ipsi quoque *Ignatio* coævi patres, qui idoneum de hæreticorum descriptione testimonium reddere possunt. Nam ut de *Ignatio* incerta quidem fama est, eundem puerulum illum fuisse, quem Christus manibus gestaverit, de quo pro more suo acriter inquirit & accurate judicat in Dissertatione de Patribus Apostolicis *Ittigius*, id tamen omnium historicorum consensu constat, quod Apostolis, imprimis Johanni, coævus familiariter cum eo versatus fuerit: Ita non minus de *Polycarpo* Irenæus & post hunc innumeri alii testantur, Johannis eundem aliorumque, qui Dominum ipsum viderunt, discipulum, ab illoque ordinatum esse. Itaque & hic Apostolicæ ætatis fuerit necesse est, quamquam *Ignatio* paulo posterior. De hoc vero viro Apostolico enarrat *Eusebius* V. H. E. 20. ex *Irenæo* αὐτόπτῃ: *In conspectu DEI affirmare possum, beatum & Apostolicum presbyterum, si quid de dogmatibus,* τῇ ἐκκλησίᾳ ἀσυμφώνοις *audivisset, exclamasse continuo & obturatis auribus dixisse, prout ipsi moris erat, DEus bone, quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem, atque ex loco ipso aufugisse, quo seu stans, seu sedens ejusmodi sermones audiisset.* Cumque Marcioni hæretico Romæ obviam factus, hunc ipsum

ipsum alloqventem conspiceret: *cognosce nos, Polycarpe*, respondisse hunc refert: *cognosco te, primogenitum Satanæ.* Qvi adversus hæreticos in Apostolorum discipulo rigor cum non displicere *Arnoldo* non posset, fingit, ex incerto tantum fallacique rumore id de *Polycarpo* resciviſſe *Irenæum*, quod quam aperte falsum sit, Tractatu de Excommunicatione, ejusque indole & æquitate, ad oculum demonstravimus, §. CXLIV. Nunc id tantum repetimus, qvod *Irenæus* illico rationem tam aversi ab hæretico animi adjiciat: *tantum Apostoli & eorum discipuli habuerunt timorem, ne vel verbo communicarent alicui eorum*, (non dicit: qvi profanæ impietati operam dabant, sed qui) *adulteraverant veritatem.* Quæ ratio vim omnem amitteret, si vago potius rumori, qvam veritati inniteretur illa de *Polycarpo* narratio. Qua in re denuo exemplum habemus, qua lenitate & mansvetudine Apostolici viri, qvod reqvirit *Arnoldus*, hæreticos tractaverint. Nempe ex communione Ecclesiæ excluserunt, adeo & eousqve, ut & obliti centri Divinitatis, quod est merus amor, ut *Arnoldus* loquitur, ne quidem dignos judicarent, cum qvibus qvalemcunqve miscerent sermonem, qvinimo convitio primogenitorum Satanæ in eos jacto à sese repellerent. *Irenæus* ipse, ad quem provocat *Arnoldus*, dum admirabilem, quam Valentiniani fingunt, æonum generationem & numerorum circa illa perplexitatem, quæ sunt doctrinæ mere theoreticæ, recensет, tanta in hos errores indignatione accenditur, ut in has maledictiones prorumpat, libro I. c. XIII. *Qvotqvot absistunt ab Ecclesia & iis anilibus fabulis assentiunt, vere à semetipsis sunt damnati. Qvos Paulus jubet nobis post primam & secundam correptionem devitare. Joannes enim, Domini discipulus, superextendit damnationem in eos, neque ave eis nobis dici volens. Qui enim dicit eis, inquit, ave, communicat operibus ipsorum*

rum nequissimis. Et merito. Non enim est gaudere impiis, dicit Dominus. Impii autem super omnem impietatem hi sunt, qui factorem cœli & terræ, unum DEum omnipotentem, super quem alius DEus non est, ex Labe & ipsa ex altera Labe facta, emissum dicunt (Quæ nempe impietas merus est monstrosus ille Valentinianorum intellectus de DEO) *Quam sententiam digne exsufflantes catanathemizantes oportet porro alicubi & longe fugere ab eis, & quanto plus hæc affirmant & gaudent in iis adinventionibus suis, tanto magis sciamus plus eos agitari ab ogdoadis nequissimis spiritualibus.* Non potest *Irenæus* satis verborum invenire, quibus *immundum* illum *ignorantiæ Spiritum*, DEO vero indignum, exagitet & ex Ecclesia proscribat. Jam si viri Apostolorum ævo viventes vel horummet discipuli in hæreses, qui falsas solummodo de DEO rebusque Divinis opiniones, salvo, quem DEO debebant, cultu, dissemina-bant, tanto cum veritatis zelo invecti sunt, quis unquam crediderit, eos ab ipsis Apostolis eundem non accepisse?

§. XLV. Jam intueamur *Ignatium*, puerulum illum, cordi Christi adpressum, utrum ille hæreticos à vitiis potius voluntatis, qvam conceptibus intellectus describat? Dico vero confidenter, in tota illa, quam producit *Arnoldus*, Epistola, qvæ est ad Smyrnæos, ne verbum quidem de hæreticorum illorum, quos perstringit, profana impuraque vita, sed tantum de erroribus reperiri. Opposita nempe Epistola illa, quemadmodum & *Ignatii* aliæ, Docetarum seu Phantasiastarum errori, quæ nomina quidem seculo vel secundo vel tertio orta, hæresis tamen ipsa, quæ secundum δόκησιν & externam tantum apparentiam, non vere Christum natum & passum esse affirmabat, Apostolis coæva fuit. Diserte id asserit Dialogo adversus Luciferianos *Hieronymus*. Jam vero tota in eo occupata est epistola, ut hunc errorem, mere Theoreticum, Smyrnæorum

næorum animis exosum reddat. In ipsa statim salutatione gratulatur ipsis *immobilem fidem Jesu Christi*, quodque certificati sint, in Christum VERE existentem de genere David, VERE ex virgine natum, VERE sub Pontio Pilato crucifixum. Tum vero repetit statim in propositione: *VERE passus est & VERE resuscitavit seipsum.* De iis vero, qui hac hæresi infecti sunt, ita judicat: *Non quemadmodum infideles quidam dicunt, secundum videri ipsum passum esse, ipsi secundum videri existentes & quemadmodum sapiunt & accidet ipsis existentibus incorporeis & dæmoniacis.* Infideles vocat & dæmoniacos & paulo post BESTIAS ANTHROPOMORPHOS; ut qvemadmodum illi fingant, Christum speciem tantum hominis & carnis & passionis habuisse, ita hi hæretici speciem tantum habeant hominum, revera autem irrrationabiles, quoad hanc opinionem, sint bestiæ. De quibus jam porro pronunciat: *Has bestias non solum oportet vos non recipere, sed si possibile, neqve eis obviare, solum autem orare pro ipsis, si qvomodo poeniteant, quod difficile.* Iterumque post nonnulla: *Quid juvat me quis, si me laudat, Dominum autem meum blasphemat, non confitens ipsum carniferum? Qui autem hoc non dicit, ipsum perfecte abnegavit, existens mortifer. Nomina autem ipsorum, existentia infidelia, non visum est mihi inscribere; sed neque fiat mihi ipsorum recordari, usque quo pœniteant.* Denuo: *decens est recedere â talibus, & neque seorsim cum ipsis loqui, neque communiter. Partitiones autem fugite, tanquam principium malorum.* Itane in Docetas detonas, *Ignati*? Qui tamen errarunt errorem mere speculativum, an vere an apparenter tantum, natus & passus sit Christus, quem bono tamen animo errarunt, persvasi, illud si asseruerint, Divinitati & excellentiæ carnis Christi detrahi. Hæcne est lenitas & mansvetudo ex dictato *Arnoldi* adversus hæreticos exercenda, bestiarum eosdem

nomine, ſpeciem tantum hominum habentium, DEum blaſphemantium, Chriſtum abnegantium, infidelium, mortem promerentium, traducere, qvi indigni ſint, quibus obvies, quorum recorderis, cum quibus loquaris? Sed & ex alia Epiſtola, quæ ad Trallianos eſt, *Ignatium* noſtrum audiamus. Ita ibidem. *Obdurate aures veſtras, cum vobis qviſpiam loqvitur ſine JEſu Chriſto, qvi ex genere Davidis, qvi ex Maria; qvi vere natus eſt, edit & bibit, vere perſecutionem paſſus eſt, vere crucifixus & mortuus eſt, qvi & vere reſurrexit à mortuis; ſine qvo veram vitam non habemus.* Audis hic iterum mere theoretica. De qvibus vero: *obſecro vos, non ego, ſed charitas JEſu Chriſti, ſolo Chriſtiano alimento uti, ab aliena autem herba abſtinere, qvæ eſt HÆRESIS.* Hæreſis ergo eſt, credere, Chriſtum non vere natum & paſſum eſſe, utcunque bono pioque id animo credas, quod nempe carnem, eamque impaſſibilem, ex cœlo attulerit Chriſtus. In quam hæreſin denuo ita invehitur: *Si vero, ut qvidam ATHEI, id eſt, INFIDELES, ajunt, ipſum ſecundum apparentiam eſſe paſſum, ipſi ſecundum apparentiam exiſtentes, ego qvid vinctus ſum & cur opto cum beſtiis depugnare? Fruſtra itaqve morior. Certe mendacia de Domino non confingo: Fugite ergo malas propagines, qvæ gignunt mortiferum fructum. Iſti enim non ſunt plantatio patris.* Cum in utraque Epiſtola vitiorum moralium nec ullo verbo fiat mentio, omnesque illi effectus mortiferi nudæ doctrinæ Docetarum ab *Ignatio* aſſignentur, quo candore potuit ab *Arnoldo* in partes ſuas trahi *Ignatius?*

§. XLVI. Dices: legitur nihilominus in Ignatiana ad Smyrnæos Epiſtola: *Diſcite ergo eos, qvi talia docent, qvomodo legem ponunt, incognitum eſſe Patrem Chriſti prædicantes; qvomodo etiam infidelem inimicitiam cum invicem habent. Dilectionem futurorum negligunt, præſentia diſſimulant, qvæ ventura ſunt, tanqvam præſentia eſſe putant*

&

& tanqvam somnium & phantasiam existimant, mandata contemnunt, viduam & orphanum despiciunt, tribulatum respuunt, vinctum derident, crucem erubescunt, passionem deludunt, resurrectionem frustrant. Hujusmodi omnes nepotes sunt illius inveterati malorum Spiritus, qui & Adam seduxit. §. VI. & VII. Edit. Ittig. Quæ sunt vitia moralia, quibus hæretici, ab *Ignatio* castigati, fuerunt dediti. Sed I. cum hæc in interpolata Epistola legantur, eo ipso genuina *Ignatii* non sunt atque adeo falso *Ignatio*, Apostolorum discipulo, attribuuntur. Non ignoraverat hoc *Arnoldus*, sed subticendum id fuerat, ut sub antiquitatis Apostolicæ schemate qualemcunque novitati suæ colorem obducere posset. II. Non ausus est *Arnoldus* integra *Ignatiastriani* vitiorum catalogi allegare verba, quæ nos paulo ante produximus, sed ex universis istis tria tantũ selegit, quæ vocat **Früchte des Unglaubens** / nominatque **die Liebloſigkeit / Undanckbarkeit und Verachtung des Gebots.** Quænam vero ejus rei causa est, cum jucundum admodum fuisset *Arnoldi* genio, tantam vitiorum phalangem in hæreticos congerere, ut in tot impuritatibus constitisse hæresin ex Apostolicorum virorum judicio, non in intellectus errore, eo verosimilius reddere potuisset? Quibus & addere ea potuisset, quæ majore copia *Ignatiaster* in adulterina ad Trallianos Epistola coacervavit. Ita enim propius hæc hæresis ad primam illam hæreseos *Arnoldinæ* definitionem accessisset, qua illa apostasia ab universali Christianismi seu Christianæ pietatis praxi esse dicebatur. Sed nimirum ipsum τὸ παράδοξον taliter ἑτεροδοξάντων ab hoc eum instituto deterruit. Quid enim est: Dilectionem futurorum negligunt? Quid præsentia dissimulant? Quid, quæ ventura sunt, tanquam præsentia esse putant & tanquam somnium & phantasiam existimant? Sphingis hæc sunt ænigmata, quæ aperire & dissolvere

Arnoldo difficile fuerat. Ex cæteris quoque tria tantum selegit, in quibus juxta *Ignatium* Docetarum hæresin constitisse decrevit: charitatis defectum, ingratitudinem & contemptum legum. In quibus tamen si hæresis consistit, omnes Christianorum, cætera optimorum, cœtus, ipsaque *Arnoldi* Ecclesia, hæreticis repleti erunt. Nec vero dici III. poterit, hos Docetas isthæc peccata docuisse licita esse & hactenus hæresi fuisse infectos. Nec enim credo, ad tam absonam assertionem deventurum ex desperatione esse *Arnoldum*, aut si in has fuerit anguſtias conjectus, quo id vel levi indicio ex Epistola Ignatiana esset comprobaturus? Cui enim unquam Christianorum venerit in mentem, ea docere, quæ non in verbo tantum Divino, sed per ipsam hominis rationem, quam nemo exuere, si & vellet, potest, districte prohibentur? Jam IV. sole ipso clarius est, ipsummet hunc *Ignatiastrum* â puro soloq; Docetarum errore, quod visus tantum fuerit Christus nasci & pati, vere autem natus passusque non fuerit, præcisa omni morum malitia, æternam damnationem suspendere. *Nemo seipsum seducat*, inquit §. VI. *Si enim non crediderit, Jesum Christum in carne fuisse conversatum & confessus fuerit crucem ejus & passionem & sanguinem, quem effudit pro mundi salute, vitam æternam non consequetur, sive Rex fuerit, sive Sacerdos sive Princeps, seu privatus, seu Dominus sive servus, seu vir sive mulier. Qui capit, capiat & qui audit, audiat.* Quanta autem *Arnoldo* est absurditas, solam intellectus phantasian, seu ut alii, qui eandem cum ipso sententiam sequuntur, loqui amant, fidem cerebrinam, cœlesti vita excludere & æternæ damnationis reum facere? Quinimo V. nec subticere ipse *Arnoldus* potest, quæ vitia moralia Docetis *Ignatiaster* tribuit, non ad formam & essentiam hæreseos pertinere, sed ad fructus & effectus. Er erzählet lauter Früchte des Unglaubens. Fructus

ctus autem arboris ad internam arboris essentiam non pertinent, sed ad externos ejus effectus, effectus vero tantum vel de bonitate vel de malitia arboris testantur. Ergo nec illa ordine recensita vitia ad ipsum τὸ esse hæreseos sed ad effectus potius illius & fructus ipso omnis hæreseos exterminatoris judicio referenda esse ultro intelligitur. Si vero VI. vitia illa tantæ malitiæ moralia ob errorem, ex quo nascuntur, pravitatem suam hauriunt, ergo error majorem longe in se malitiam complectitur. Quia qualis est effectus, talis etiam est causa. Et propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est. Si itaque tanta tamque stupenda variorum vitiorum impuritas ex hæresi tanquam ex fonte suo effluit, quantam in se ipsa hæresis malitiam complectetur? Unde & *Ignatiaster* sub finem §. VII. *Nefandas hæreses & schismata facientes fugite sicut principatum malorum.* In græco est: τὴν ἀρχὴν κακῶν, *principium & originem malorum.* Denique VII. incertum est, an effectus illi vitiorum deterrimi ab uno tantum Docetarum hæresi, an â pluribus, quas nec μνημονέυειν, §. V. earumque mentionem facere martyr voluit, descendant. Nec levi indicio est, quod inter hæreticorum dogmata numeret: *prædicare, incognitum esse Patrem Christi.* Quod inter Doceti dogmata nullibi comparet. Et quamquam non negetur, hæreticos in antiquitate variis plerumque vitiis fuisse infames, non tamen exinde consequitur, alios hæreticos, solis in Christianæ doctrinæ sententiis errantes, pietati de cætero deditos, non fuisse ob solos intellectus errores ab Ecclesia condemnatos. Quid enim de solo illorum errore dixerit *Ignatius*, supra ostensum est.

§. XLVII. Abunde hinc enitescere existimo, quam inique *Arnoldus*, imo, si id dicere fas est, contra propriam scientiam & conscientiam, in partes suas *Ignatium* pertraxerit. Jam porro ad coævum *Ignatio Irenæum* pes pro-

movendus nobis est. Longe minus autem vel ulla cogitatione aut mentis conceptu comprehendi potest, qui in partes adversas ullo non dicam pacto, sed vel specie pertrahi possit. Nam l. hæretificum *Irenæus* non tantum primus & princeps est, sed & acerrimus atque ad quendam usque, ut ajunt, furorem vehemens & efferatus. Cumque vix aliquot lustris ab ultimo Apostolorum Johanne remotus & Apostolicorum virorum *Polycarpi* & *Papiæ* auditor fuerit, in tot tamen, eosque prodigiosos, hæresiarchas invehitur, qvot vix numerari possunt. Comparent enim libro statim primo Valentiniani, Colarbasii, Marcosii, Simon Magus, Menander, Basilides, Saturninus, Carpocrates, Cerinthus, Ebionitæ, Nicolaitæ, Cerdon, Marcion, Tatiani, Gnostici, Ophitæ, Cajani. Si hodie quis tot numero hæreses, intra breve temporis spatium in una vere fidelium Ecclesia exortas, produceret, tantoque vehementiæ rigore refelleret, quo titulo is ab *Arnoldo* exornaretur? Sed nempe non audet *Arnoldus* tam infami hæretificum cognomine dehonestare virum, ab ipsis qvasi Apostolorum manibus calidum, qviqve sapientiam suam, zelumque non potest non ab Apostolis accepisse, quippe quorum audivit discipulos. Audacior *Johannes Clericus* est, qvi ad octodecim commata capitis primi Evangelii Johannis, *optandum esse* ait, *ut Irenæus suæ in heterodoxos misericordiæ potius qvam Zeli specimina nobis relinqvere maluisset, cum Zelus iræ sæpe ita affinis sit, ut ab ea vix secerni possit.* Quasi vero non & mansvetudo *Arnoldi* in heterodoxos hypocrisi ita sit affinis, ut ab ea separari non possit. Sed jam II. ipso sole clarius est, dogmata hæreticorum illorum, non impietatem, nisi in quantum illa, ut barbare loquar, dogmatisata est, enarrare & refellere *Irenæum.* Ipse libri titulus *Eusebio* teste in os nobis oculosqve ingerit: Ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, *Refu-*

Refutatio & everſio falſi nominis ſcientiæ. Pro quo vulgares inſcriptiones habent: *Adverſus Valentini & ſimilium Gnoſticorum Hæreſes libri quinque.* Gnoſtici â Simone Mago juxta *Irenæum* orti, myſteria ſua, omni impuritate repleta, pro perfectiſſima γνώσει venditarunt, ut ait *Tertullianus.* Quinimo ex Pauli loco I. Tim. V. 20. uti ψευδώνυμον γνῶσιν fugiendam eſſe monet, eos jam Apoſtolorum ætate in eccleſia ortos fuiſſe non improbabiliter colligunt *Chryſoſtomus* & *Theodoretus.* Eſt igitur juxta ipſas *Irenæi* inſcriptiones αἵρεσις nihil aliud quam γνῶσις, *notitia*, eaque falſa, ſeu falſo veræ notitiæ nomen habens. Si hæreſis proprie & principaliter in vitæ flagitioſæ impuritate juxta *Irenæum* conſtitiſſet, hanc potius quam notitiam ejus evertiſſet, inque ipſo illico titulo id inſinuaſſet. At ἀναιρέπει τὴν γνῶσιν, non vero τὴν πρᾶξιν. Neque excipi poteſt, ubique *Irenæum* & blaſphemias & libidines & ambitionem & idololatriam & ſcelera hæreticorum alia perſtringere. Nam id non facit ideo, quaſi principaliter in his πράξεσι, hæreſis conſiſteret, cum & blaſphemi & libidinoſi & ſuperbi ſint, qui veræ de DEO doctrinæ ſunt addicti, & nihil minus ſunt, quam hæretici, ſed quod ea doceant, ex quibus vel flagitia illa oriuntur, vel quæ DEO Divinisque myſteriis in ſe ſunt indigna. Id adeo clare in ipſa Præfatione inſinuat *Irenæus*, ut nonniſi cœcorum oculos fugere poſſit. Ita enim Irenæus: *Quatenus veritatem refutantes quidam inducunt verba falſa, genealogias infinitas, quæ quæſtiones magis præſtant, qvemadmodum Apoſtolus ait, quam ædificationem DEI, quæ eſt in fide & per eam, quæ eſt ſubdole exercitata veriſimilitudo, traducunt ſenſum eorum, qui ſunt inexpertiores & in captivitatem ducunt eos, falſantes verba Domini, interpretatores mali eorum, qvæ bene dicta ſunt, effecti* & quæ porro ſequuntur. Omnia arguunt, veritatem impugnare Gnoſticos, verbis falſis, tanquam

tanquam Genealogiis Judaicis, incautos lectores seducere, falsare verba Scripturæ & male interpretari ea, quæ bene dicta sunt; quare omnia mere sunt theoretica & ad intellectum spectant. Cum igitur *secundum gratiam DEI in manifestum venerint DOCTRINÆ ipsorum*, se quoque in id elaboraturum esse profitetur, ut & SENTENTIAM ipsorum cognoscere lector & FALSAM eam esse ediscere, adeoque abstrahi ab hæreticorum SVADELA possit. Est igitur juxta *Irenæum* hæresis SCIENTIA, adeoque actus intellectus, eaque falso ita cognominata, quia VERITATEM REFUTAT. Quare cum toto libro primo admirabilem monstrosissimorum dogmatum labyrinthum denudasset, secundi libri prologo profitetur, *ostensurum se esse omne ab his, quæ sunt à Valentino, per multos & contrarios modos adinventum esse FALSILOQUIUM & SENTENTIAS eorum discrepantes esse sibimetipsis, multo autem prius ipsi VERITATI.* Nec aliter in præfatione libri tertii, ubi ait, se in præcedente libro destruxisse & evertisse, quæ ab hæreticis male DOCEANTUR, in præsenti vero ex Scripturis alias probationes adducturum esse, ad arguendum eos, qui quolibet modo MALE DOCEANT. Ecce igitur hæresis mala doctrina est, veritati & Scripturæ adversa. Sed & quarti libri prologum audiamus. Ait igitur, se per Domini sermones confutasse omnes hæreticos, ne & lector ipsius eos omnino retusos longius sinat in ERRORIS procedere profundum, neque IGNORANTIÆ præfocari pelago, sed convertens eos in VERITATIS portum faciat suam percipere salutem. Plane & ad eundem modum in præfatione quinti profitetur, se ex aliis etiam Scripturarum fundamentis convicturum esse hæreticos, *ERRANTESQUE velle retrahere & convertere ad Ecclesiam DEI, neophytorum qvoqve sensum confirmare, ut stabilem custodiant fidem, qvam bene custoditam ab Ecclesia acce-*

acceperunt, ut nullo modo transvertantur ab his, qvi male DOCERE eos & abducere à VERITATE conantur. Qvæso te, rogoqve, potestne qvid evidentius esse, qvam *Irenæo* hæresin esse ψευδώνυμον γνῶσιν? Et hanc esse doctrinam falsam? Et hanc esse sententiam veritati revelatæ adversam? Quid ad definitionem hæreseos desideremus amplius?

§. XLVIII. Sed quid respondendum est ad verba *Irenæi*, quæ supra §. XXXVIII. ex *Arnoldo* producta, in origine sua hunc in modum habent, libr. V. c. VIII. *Hæc est autem omnium hæreticorum ostensio & eorum, qvi non meditantur eloquia Dei, neq; operibus justitiæ adornantur. Quibus & Dominus ait: quid mihi dicitis: Domine, Domine & non facitis, quæ dico vobis? Qui enim sunt tales, in Patrem quidem & Filium dicunt se credere, nunquam autem meditantur eloquia DEI, quemadmodum oportet, neque justitiæ operibus sunt adornati, sed quemadmodum prædiximus, porcorum & canum assumpserunt vitam, immunditiæ & gulæ & reliquæ incuriæ semetipsos tradentes. Juste igitur tales omnes, qui propter suam incredulitatem & luxuriam non adipiscuntur Divinum Spiritum, & in suis concupiscentiis irrationabiliter ambulant, Apostolus quidem carnales & animales vocavit, Prophetæ autem jumenta & feras dixerunt.* Quæ cum in sua lingua adduxisset, ita concludit: dieſe Beſchreibung der Kätzer kommt mit denen vorigen Apoſtoliſchen genau überein / und iſt deutlich und gewiß genug / daß keiner ſie in Zweiffel ziehen wird / es ſage ihm dann ſein Gewiſſen / daß er dieſe Kennzeichen an ſich habe / daß er ſich alſofort dadurch ſelbſt zu rechtfertigen gedrungen würde. Respondetur I. Si uni *Irenæi* asserto, quod moralibus vitiis dediti sint hæretici, fidem adeo cupide adhibet *Arnoldus*, cur millenis aliis, immo totius libri instituto eandem derogat, quod unice eo tendit, ut hæreticorum errores, à verbo Divino & Eccle-

fiæ consentiente doctrina alienos, id est ψευδώνυμον non πρᾶξιν, sed γνῶσιν, evertat & refellat? Unicus totius operis *Irenæi* scopus est, hæreticorum errores, veritatem nonnunquam mentientes, protrahere in lucem, eorumq; fœditatem ostendere. *Error enim*, ait in prima statim totius operis præfatione, *secundum semetipsum non ostenditur*, ab hæreticis non statim propalatur, *ne denudatus fiat comprehensibilis*, ne turpitudo ejus statim appareat, sequemet ipsam prodat, *svasorio autem cooperimento subdole adornatus, ipsa veritate (ridiculum est dicere) veriorem semetipsum præbet, ut decipiat exteriori phantasmate rudiores.* Nunc vero cum in lucem ex COMMENTARIIS ipsorum protraxerit DOCTRINAM, (non praxin) illorum, in aperto jacere *portentuosissima & altissima mysteria ipsorum*, quæ antea non omnes ceperint, *quia non omnes cerebrum habeant*, jam autem non apprehendi tantum & cognosci, sed & aliis manifesta fieri, ut *se observent à profundo insensationis & ejus, quæ est in DEum blasphemationis.* Cur vero adeo profunde insensatus est *Arnoldus*, ut videat scelera hæreticorum, non videat errores? Quæso, quotquot ei adhæretis, habete cerebrum & intuemini etiam atque agnoscite non flagitia tantum, sed & portentuosissima hæreticorum errorum mysteria. II. Non negamus, hæreticorum ostensionem esse, porcorum & canum assumere naturam & in concupiscentiis suis irrationabiliter ambulare; sed hoc inficiamur, in hac ostensione consistere ipsius hæreseos internam indolem & essentiam. Nam etiam ex erudito hominis discursu ostenditur, eundem esse rationalem, & ex domo ab architecto confecta ostenditur, eundem esse artificem, & ex universa hujus mundi machina ostenditur, DEum ejus opificem esse omnipotentem, non tamen ideo in discursu consistit ipsa essentia hominis, nisi infantes homines esse inficiari velimus, neqve in domo ab architecto

confecta

confecta ejus artificium, neqve in mundi machina creatoris omnipotentia. Homo injustus DEum magistratumqve contemnit, ut suam habendi libidinem expleat, & tamen in hoc contemtu injustitia non consistit, sed in eo, qvod suum cuiqve non tribuat. Otium pulvinar est Satanæ, ex qvo canum porcorumqve vita, immunditia & gula profluit & tamen in hac luxuria ratio & essentia otii non consistit. Hæreseos ostensio & effectus est, in suis concupiscentiis porcorum adinstar irrationabiliter ambulare & tamen in hac ambulatione hæreseos natura non consistit. III. E contra qvia hæretici ideo operibus justitiæ non adornantur, qvia non meditantur eloqvia DEI, qvemadmodum oportet, & qvia ideo Divino Spiritu carent, qvia sunt increduli, hæresis non consistet in injustia & carentia Spiritus sanctificantis, qvia nihil consistit in eo, qvod ex illo consequitur. Qvid enim absurdius est, qvam causam consistere essentialiter in suo effectu? Jam evidens est ex ipsis *Irenæi* verbis, omnia ista, qvæ enumerat, vitia ex ipsa hæresi seu falsa doctrina ab ipso deduci. Unde & falsam doctrinam, tanqvam tot vitiorum matrem, in toto opere suo perseqvitur, denudat & refellit; ut vitia refelleret, ne qvidem opus esse censuit, qvippe qvorum deformitatem omnes ultro agnoscunt. Unde nec ulla unqvam argumenta contra vitia producit, cum excepto primo libro cæteri omnes in Scripturarum fundamentis, qvibus hæretici, *similia qvidem nobis loqventes, dissimilia vero sentientes*, ut denuo in Præfatione loqvitur *Irenæus*, ad palliandos errores suos abutuntur, excutiendis occupentur. IV. Cum *Irenæus* inqvit, omnium hæreticorum ostensionem esse porcorum & canum assumere vitam, per consvetam id exaggerationis figuram exaudiendum est. Qvis enim unqvam crediderit, omnes singulosqve hæreticos omni impietatis scelerumqve cœno fuisse collutulatos? Qvin nonnullos

sanctitatis specie alios ad se allexisse non dissimulant hæreseon scriptores, ipsecq; adeo *Irenæus* noster. Qvare deniqve V. conclusionem Arnoldinam, qvod *Irenæus* non aliter hæresin, qvam Apostoli, nominatim Petrus describat, utraqve manu concedimus. Nam non aliter hæresin, sive in essentia sua, sive in effectu, delineare *Irenæum*, qvam Petrus Apostolus fecit, invictis argumentis probavimus §. XXXVI.

§. XLIX. Denicq; nec conclusio *Arnoldi* in hoc argumento, qvam ceu aculeum Lutheranorum hæretificum pectoribus pro more suo alte infigit, sine animadversione dimittenda est. Ita ille pungit & mordet: kein Wunder ist es / daß bey dem Verfall das Wesen der Kätzer in lauter Theoretischen Meynungen / die den Verstand nur afficiren / gesucht worden / weil man sonst der Kätzer zu viel / sonderlich unter den Lehrern selbst / würde bekomen haben / hingegen offt die anderē / so man davor erklärt / nicht so leicht davor annehmen dürffen. At verò I. non ignotum acri *Arnoldi* ingenio esse poterat, simili morsu suammet sententiam exornari posse: kein Wunder ist es / daß bey dem Verfall des Lutherthums das Wesen der Kätzer in lauter practischen Lastern / die den Willen nur afficiren / gesuchet werde / weil man sonst der Kätzer zu viel / sonderlich unter denen Lehrern selbst / würde bekommen / die die Indifferentisterey zu befördern auch nicht einmahl vor eine Kätzerey halten würden / wann man in dem Verstand läugnet / daß drey Personen in der Gottheit / daß der wesentliche Sohn GOTTes Mensch worden / daß er vor uns gelitten und gestorben / und daß wir diese und andere hohe Geheimnüsse wissen müssen / wann wir seelig werden wollen. Neqve excipi II. potest, non omnem ex adversa parte notitiam, ejusqve necessitatem excludi, sed eam tantum, qvæ ad praxin non tendat, vel cui praxis non sit annexa. Nam cui notitiæ sacræ & revelatæ praxis non est annexa, vel

qvænam

qvænam ad praxin non tendit? Anne qvidpiam excipi potest à τῷ: πᾶσα γραφή, II. Tim. III. 16. *Omnis Scriptura utilis est ad doctrinam, ad refutationem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia.* Annon hæ sunt πράξεις Christianismi? Et annon, qvicqvid scriptum est, id est *scriptum, ut credamus, JEsum esse Christum Filium DEI & per hanc ipsam fidem vitam habeamus in nomine ipsius?* Joh. XX. 31. Jam vero producatur unica doctrina, cujus negationem, qvæ est error intellectus, hæresin esse dicunt Lutherani, qvæ in meris opinionibus theoreticis, **in puren Theoretischen Meynungē / die den Verstand nur afficiren/** consistat? Id est, qvæ non utilis sit ad instructionem nostram, ad adversariorum veritatis refutationem, ad morum Christianorum correctionem & ad exhortationem in justitiæ via ad finem usqve vitæ progrediendi? Qvæ sunt non θεωρίαι, sed πράξεις. Aut qvæ doctrina Divinitus revelata est, qvæ non tendat ad Christum, totius Scripturæ nucleum, ut credamus, eundem esse Servatorem nostrum, qvi peccata nostra portaverit in corpore suo, eoqve nos DEO Patri reconciliaverit & æternæ nos salutis, si in ipsum credamus, reddat participes? Anne hæc sine superstitione & idololatria credi possunt, nisi notitiam habeamus dogmatum fidei principalium, qvippe qvae hunc ipsum in finem, ut ea sciamus, ut errores iis oppositos refellamus, ut vitam nostram tantis mysteriis conformem ducamus, ut ad qvotidianum salutaris θεογνωσίας incrementum nosmetipsos excitemus, juxta Apostolum revelata sunt? Qvid igitur desideres in definitione hæreseos Lutherana, qvando dicitur error, doctrinæ, ad varios illos usus & πράξεις revelatæ, adversus? Neqve & hic excipi III. potest, ita reddi ex omnibus erroribus haereses, adeoqve haereticorum in Ecclesia enasci innumerabilem multitudinem. Quasi vero non & de praxi hæretica, ab Apostolo Petro descripta,

ad quam unice hæresin exigunt, idem enunciari posset? Quamquam enim juxta adversarium non omnes ἀῦτάδεις, aut μοιχοὶ, aut ἄλογα ζῶα φυσικά, aut blasphemi, aut voluptatibus dediti, aut avari & maledicti, sint hæretici, non obstante, quod hæc singula πράξεις sint hæreticæ & vere damnabiles, adeoq; partes quasi hæreseos, sola tamen harum πράξεις aut accumulatio, eaqve vel major vel minor, aut abominatio, ut fit in abnegatione veri Christianismi, hæresin quoque vel deteriorem vel tolerabiliorem vel deterrimam efficit: ita quoque juxta Lutheranos non omnes in doctrina aliqua Theologica, vel circa DEUM, vel circa Christum, vel circa peccatum, vel circa gratiam Spiritus Sancti errantes sunt hæretici, quantumlibet omnes hi errores in se sint damnabiles & partes fieri possint hæreseos, sed soli illi, qui dogma aliquod fidei, vel directe magis vel indirecte, vel majori vel minori cum ejus concussione, labefactant & evertunt. Nempe ut πράξεις illæ vitiosæ, Gal. V. 19. 20. 21. recensitæ, omnes quidem in se verissima sunt vitia moralia, mortem & æternam damnationem promerentia, scelera autem & flagitia, mortem actu inferentia tum demum fiunt, & in communi loquendi usu dicuntur, quando cum προαιρέσει, eoq; atrociora, quo majori cum proposito & malitia, committuntur: ita & αἵρεσις, quæ est separatio â cœtu ob electam peculiarem doctrinam, (quo sensu in omnibus Novi T. locis, nisi fidiculis ea distorquere & dilaniare velis, accipitur) in se doctrinam involvit damnabilem, quæ tamen actu eandem non infert, neque haereseos nomine insignitur, nisi perfecta cum scientia & voluntate foveatur.

§. L. Superest ultimum *Arnoldi* argumentum, idque integro pertractatum capite IV. libri primi, quo probat, hæresin non consistere in mero mentis conceptu; idque desumptum ex vulgo creditis primi seculi hæresibus.

Quia

Quia enim objectari *Arnoldo* poterat, comparere in primo statim seculo nequaquam exiguam hæreticorum turmam, Simonianos, Dositheanos, Menandrianos, Cerinthianos, Ebionitas, Nazaræos, Nicolaitas, Carpocratianos, Saturninianos, aliosque, quorum errores, ab Apostolica doctrina deviantes, veteres ejus ævi & sequentium temporum scriptores passim graviter notaverint, verosimile non esse, eo statim annorum decursu deviatum ab Apostolico more & hæreseos vocem mero intellectus errori tributam fuisse, itaque ad tuendam suam hypothesin necessum fuit, ut & hunc nodum dissolveret *Arnoldus* & contrarium, quantum fieri poterat, demonstraret. Quamquam vero varia ad hanc objectionem, sive in genere, sive in specie, quod ad singulas hæreses attinet, respondeat, nobis tamen brevitati, quia opella hæc jam excrevit, danda opera est, & momenta potiora tantum, quam vim habeant, consideranda sunt. Quæ ipsa tamen contrahemus in compendium. Quare qvamquam inficiari nolit, fuisse jam Apostolorum ætate, qui aliter quam Apostoli docuerint & vixerint, quo cumprimis Pseudapostoli pertineant, qui forte in privatis conventibus peculiarem devotionem quæsiverint, non posse tamen probari, quod à publica reliquorum Apostolorum Ecclesia sese separaverint quamquam moderatissimo calamo ab Apostolis fuerint admoniti. Fuisse enim, quousq; vixerint Apostoli, Ecclesiam ut Eusebius testetur, puram virginẽ & demum his ê vita exemptis seductiones & corruptiones eidem sese insinuasse. Deinde quæcunque de Simone Mago passim tradantur, ita esse fabulis & contradictionibus referentium involuta, ut seipsa destruant, saltem incerta omnia sint & incredibilia. Quæ de Ebione, mera esse figmenta, hæretificum omnium, quotquot sol adspexerit, detestabilissimo, *Epiphanio* adscribenda. Quæ de Nicolaitis referantur, partim confi-

cta esse,

cta esse, partim quæ certa sint & ex Apocalypsi desumpta, hæresin eorum nonnisi *in malis operibus* constitisse, arguere. Dann GOtt sehe in seinem Urtel nicht so wohl auff die Lehren / wie sie etwa den Verstand irre machen mögen / als auff die Wercke / wie sie aus einem bösen und verkehrten Willen fliessen. Weswegen er auch nicht befiehle / sich mit ihnen lang herumb zu disputiren / oder so und so zu verfahren / sondern nur ihre Wercke zu hassen. De *Cerintho* concedit, eundem parum sobrie de Christo sensisse; qvod vero errorem & hæresin de Chiliasmo attineat, intolerabile esse in hodiernis hæretificibus, qvod Chiliasmum crassum & voluptuarium cum sancto & in Apocalypsi commendato malitiose confundant & ideo ab *Irenæo* & *Tertulliano* Chiliasmum Cerinthi dissimulatum fuisse mentiantur, qvia eundem cum ipso Chiliasmum somniaverint. Welches aber eine grobe unverschämte Beschuldigung dieser theuren Männer seye / nachdem diese aus der Offenbahrung JEsu Christi / wie sie Johanni gegeben worden / von gar einem anderen Reich desselben geschrieben haben / als diejenige etwa glauben und hoffen möchten / welche ein solch irrdisch und fleischlich Reich auff Erden liebeten und bey ihren fetten Pfründen oder Pfarren unter dem Verfall besassen. Capite vobis hoc, Theologi Anti-Chiliastæ, qvi sub totaliter prolapsa Ecclesia, optimis Pastoratibus gaudentes, vivitis, cum *Arnoldus* cum suis sectariis in Ecclesia in veritate stante vivat, paupere admodum pastoratu contentus!

§. LI. Ad hæc singula breviter respondendum est. Et primo quidem, facilem esse *Arnoldo* disputationem quamcunque, si ei liceat, omnem historiæ fidem, cum ei adversa est, rejicere, si vero ei faveat, cupidissime acceptare. Qvæ est eorum, qui θέσιν πυξ καὶ λαξ φυλάττειν sibi proposuerunt, consueta impudentia. Cur vero non credit histo-

historicis potius, cum de erroribus hæreticorum referunt, quam cum de vitiis? aut si in hoc fidem merentur, qvidni & in illo? II. Pleraqve, quæ pro se *Arnoldus* attulit, ab incomparabili antiqvitatis Ecclesiasticæ promo condo, *D. Ittigio*, cujus & orthodoxiam & eruditionem æquè Lipsia hodie desiderat, nonnulla etiam, antequam monstrosa illa Historia Hæretico-Ecclesiastica infelici fato in lucem prodiret, ita discussa sunt, ut non opus esset, responsionibus *Arnoldinis* immorari. Ut tamen vel aliqvid tantum dicamus, qvod ad Pseudo-Apostolos spectat, illi *dolosi operarii* & *ministri Satanæ* dicuntur, I. Cor. XI. 13. & 15. vel quod doctrinam, qvam fovebant, falsam occultabant; qvo pacto, quia manifesti facti nondum fuerant, separari ab Ecclesia nec poterant; vel quod errores suos præ Apostolica veritate, tanqvam verbo Diuino magis convenientes, jactaverant, tum hoc ipso, quod Apostolico decreto, à Spiritu S. adprobato, condemnati fuerant, Act. XV. 1. 10. 28. ab Ecclesia erant separati. Quod si in plerisqve aliis locis, ubi Apostoli in falsarum doctrinarum disseminatores invehuntur, hi ipsi Pseud-Apostoli intelliguntur, qvæ est plurimorum Theologorum, nominatim ê nostris D. *Balduini*, comm. in Ep. Paul. & *D. Bebelii* in III. sec. Hist. sententia, tum hi ipsi hæretici jam Apostolorum tempore à communione Ecclesiæ, non interna tantum, sed & externa, fuerunt excluſi. Qvid enim aliud est illud Johannis: *è nobis egressi sunt*, (si egressi sunt, ergo localiter & externè à cœtu ipsorum separati) *sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobiscum mansissent.* I. Joh. II. 19. Iterumqve: *Si qvis ad vos venerit, neqve hanc doctrinam attulerit, non recipite eundem in domum*, (si non in privatam, multò minus in publicam admittite) *neqve salve ipsi dicite*, II. Joh. v. 10. Et si debebant Corinthii non tantum non commisceri aut simul edere cum τοῖς πορνοῖς, sed eosdem etiam ex

medio sui evellere, I. Cor. V. 11. 13. qvantò magis ejicere ex sese τὲς αἱρετικὲς, qvorum fructus non possunt esse nisi mali? Peculiari id studio adversus *Henricum Dodwellum* probavit *Ittigius* in Præfatione ad auditores suos, Dissertationi de Hæresiarchis præfixa, qvod ignorare, cum Historiam suam ederet, haud potuit *Arnoldus*. Neque obstat, qvod *Egesippi* autoritate testetur *Eusebius*, III. H. E. XXXII, Ecclesiam, qvousque Apostoli vixerint, mansisse virginem, iis verò ex vitâ sublatis exortam esse impii erroris conspirationem fraude & malitia falsorum doctorum. Id enim ex mente *Egesippi* tantum de Ecclesia Hierosolymitana, notante *Valesio*, & quidem eo tempore, quo Jacobus cognomento Justus martyrium subiit, enunciat, post qvod complurimos adhuc annos vixere Apostoli plures, inprimis Johannes; iisdemqve viventibus vixisse memorat *Egesippus* apud *Eusebium* IV. H. E. XXII. Thebutin, Simonem, Cleobium, Dositheum, Gortheum, Masbotheum, & postea Menandrum, Marcionem, Carpocratem, Basilidem & Saturnilianum, aliosqve, *qvi seorsim singuli proprias OPINIONES introduxerint*. Ex qvibus dein *Pseudapostoli* orti, *adulterinam invexerint doctrinam* adversus DEum & adversus Christum ejus. Falsum itaqve est, Ecclesiam Christianam viventibus Apostolis, ut in vita, (quod per integras ad Corinthios Epistolas evidenter proditur) ita & in doctrina mansisse virginem. Qvalis enim virgo est, qvæ tot hæresibus, ab hæreseon omnium fonte, Simone Mago, eodemqve jam in Actis memorato, exortis, fuit maculata?

§ LII. De Simone Mago quæ passim referuntur, quomodo omnia possunt esse incerta & incredibilia, cum conspirante omnium Scriptorum consensu fons & origo atque parens omnium ejus temporis hæreseon & hæreticorum esse prædicetur. De dissensu verò referentium

Ittigius,

Ittigius, Hist. Eccl. I. Sec. V. §. XI. *Non mirandum est, si veteres Ecclesiæ patres in describendis hæreticorum deliriis non semper inter se conveniant, nec ex illo dissensu statim, concludi debet, quod veterum hæreticorum dogmata non fideliter referantur, sed quisque pro lubitu iis nunc hæc nunc alia dogmata per mendacium & calumniam affingat. Dissensus enim ille patrum inde nascitur, quod ipsi hæretici suis Dæmoniorum doctrinis non semper tantâ constantia adhæreant, ut eandem ubique earum formam exhibeant. Accedit, quod multi hæreticorum discipuli magistrorum suorum placitis non ita addicti sint, ut non subinde in illis unum atque alterum mutare audeant. Quid ergo mirum, antiquos Ecclesiæ patres in delineandis veterum hæreseon portentis, non semper & ubique consentire, sed illorum relationes nonnunquam dissonas deprehendi, dum unus forte priorem, alter posteriorem hæretici sententiam, unus forte ipsius magistri alter alicujus discipuli deliria recenset. Quin etiam Arnoldus nonnunquam dissensus fingit, ubi nullus est.* Quin & postea dogmata Simonis speciatim recenset & spuria à genuinis discernit. De Ebionitis idem *Ittigius*, §. XXXVII. *Non primus Epiphanius, quæ Godofredi Arnoldi fabula est, Ebionis hæretici meminit. Annon enim Tertullianus, qui Epiphanium duobus seculis antecedit, in Tractatu de carne Christi & in libro de Præscriptionibus, Ebionis hæretici mentionem facit, etsi Joannes Clericus in Bibliotheca universali, memoria lapsus, Tertullianum de Ebione siluisse dicat? Annon antiquus auctor, qui Tertulliani libro de Præscriptionibus catalogum aliquot hæreseon adjecit, hæreticum aliquem, nomine Ebionem, fuisse agnoscit? Quibus nonnulli Epiphanio coævi & suppares scriptores adjici possunt, Hieronymus, Philastrius, Ruffinus, Marius Mercator, Theodoretus, aliique. Irenæus & alii, qui nusquam Ebionem, sed ubique Ebionitas nominant, etiam Ebionitas ab Ebione quo-*

dam ortum habere nunqvam negant. Qvi & ad celeberrimum *D. Schelgwigium* provocat, ex instituto *Arnoldum* refellentem. Qvicquid etiam sit de Ebione, sufficit, Ebionitarum hæresin jam Apostolorum ævo extitisse. Ita qvoqve parum refert, quisnam sit auctor hæreseos Nicolaitanæ. De qva vero cum *Arnoldus* pronunciat, tantum opera eorum castigari: Johannes **befehle nicht / sich mit denen** Nicolaiten **lang herumb zu** disputiren / (malè itaqve Paulus fecit, quod disputando os hæreticis obduraverit, male Petrus & Judas, qvod maledictis illos prosciderint, male ipse Christus, **daß er sich tapffer mit denen Pharisäern herumb gezancket / so daß diese endlich gar mit Steinen** disputiret) **sondern NUR ihre Werck zu hassen:** vix credi potest, Theologum, Scripturarum gnarum, hæc scribere posse. Annon enim & v. 15. de iisdem Nicolaitis dicitur: *odi doctrinam Nicolaitarum*, qvemadmodum & in versu antecedente dicitur, DEum odisse διδαχὴν seu *doctrinam Baalitarum*? Hocne est, TANTUM, **nur ihre Wercke hassen?** Qvanto Scripturæ convenientius vocem: **die Wercke /** ἀσφαλίζεται Vinarienses per: **die Lehre und das Thun.** Nam & informatio in doctrina opus est. Ita nempe intellectus *Arnoldi* malis operibus occupatus est & repletus, ut doctrinæ errores, qvantumlibet ante oculos jacentes, haud videat, atqve ideò sibi persvadeat, DEum illos præ voluntatis vitiis parum aut nihil curare, cum æqva æstimatione dicatur: odi opera & odi doctrinam. Et cum DEUS præcipit, ut illum amemus ex omnibus viribus, non adjiciatur: ex viribus tamen voluntatis magis qvam intellectus.

§. LIII. Deniqve si non aliud regnum, mille per annos in hoc seculo transigendum, ulli unquam Ecclesiæ patres, qvantalibet sanctitate excelluerint, qvam ipse Cerinthus spe sua præcepit, olim expectarunt, frustra discrimen fingitur inter Chiliasmum crassum & subtilem. Id verò discrimen

discrimen cerebrinum prorsus somnium esse, eum in finem excogitatum, ne hæresin fovere novi Chiliastæ videantur, qvæ jam Apostolica ætate fuerit rejecta & condemnata, in Historia primi seculi abunde demonstravit *Ittigius*, & nos qvoqve ad rem certiorem reddendam nostrammet meditationem, ad quam provocat *Ittigius*, ante tria lustra in Prælectionibus publicis ad calamum dictatam, huic meditationi nostræ, si forte integri Tractatus faciem induerit, annectemus.

§. LIV. Atqve ita fundamenta illa præcipua, quibus mustea illa Indifferentistarum sententia, non dari hæresin in intellectus conceptu & fidei doctrina ullam, sed eandem in mera voluntatis impietate, juxta Scripturæ usum & totius inde ab Apostolis usque Ecclesiæ praxin unice & formaliter consistere, excussimus. Quo ipso simul vetustissimæ Apostolorum Apostolicorumq; virorum doctrinæ, ad nostra usque tempora sine ulla concussione derivatæ, hæresin primo proprie & in essentia sua erroneum esse de revelata fidei Doctrina conceptum, ex cujus professione plerumque separationes & schismata, & pro diversitate doctrinarum vel mediate vel immediate, variæ impietatis species, non tanquam ipsius erroris hæretici partes, sed tanquam effectus consequantur, priscam dignitatem roburque asseruimus. Dum vero quæ argumenta adversus antiquam doctrinam, proque stabilienda noviter inventa producta sunt, examini nostro subjecimus, cuilibet judicare in promptu est, id intra eam brevitatem fieri debuisse, quæ nauseam lectori haud moveret. Ut enim innumera alia sunt, quæ adferri ex *Arnoldo* & expendi potuissent, cum vasti illi duo in majore forma Tomi, quæ Historiam Hæretico-Ecclesiasticam conficiunt, in hoc uno sint occupati, ut omnem hæresin, qua intellectus error, isque damnabilis est, ex toto orbe eliminent, ita si ea universa adferri & considerationi accu-

ratiori subjici debuissent, ejusdem molis confeciſſent librum. Ea itaque seligenda tantum fuerant, quæ ad scopum nostrum propius facerent & ex quorum resolutione, quid cætera in recessu haberent, facile cuilibet innotescere posset. Postremo si in præsenti tractatione severiore disputandi ratione, quam nonnulli acerbitatem interpretabuntur, usus cuipiam esse videor, is apud sese expendat, cum Indifferentistis mihi negotium esse & iis quidem, qui toti Ecclesiæ, qua illa Divinam veritatem adversus ejus adulteratores â tempore Christi ad hunc usque diem, etiam cum profusione sanguinis sui, defendit, ἀσπονδον gerunt bellum, tanta quidem cum asperitate & quasi truculentia, ut major vix fingi possit. Qui itaque horum φλυαρίας, quantumlibet nihil nisi sanctitatem pietatemque mentientes, non blanda ubique fronte confodit, quî bonorum mereatur censuram? Utinam vero illi, qui nos perturbant, ad Ecclesiam, quam in partes misere discerpserunt, aliquando redirent & redditâ, quam masculis veritatis defensoribus abstulerunt, boni nominis fama, priscæ fidei unitati accederent, quibus blanditiis eosdem excipere, qua humanitate delinire, quaque festivitate Ecclesiæ nostræ gratulari vellemus! Faxit id DEus & huic quoque scriptioni nostræ Divinam benedictionem ex alto adspiret!

FINIS.

CONTENTORUM SYLLABUS.

I. Unde religionis Indifferentia generatim & speciatim cognoscatur?
II. Primum criterium, externorum libertas.
III. Secundum, unicus fons bonitatis voluntas.
IV. Tertium, sectarum omnium odium.
V. Quartum, formarum credendi exilium.
VI. Quintum hæreseos omnis exterminatio. VII.

VII. Sextum, ab omni cœtu externo ſeparatio.
VIII. Septimum, credendi nonniſi generaliſſima fidei capita neceſſitas.
IX. Octavum, capitale adverſus Lutheranos odium.
X. Præloquii concluſio.
I. Hæretificationis vox.
II. Color novæ uſurpationis.
III. Primi autores Thomaſius & Arnoldus.
IV. Præjudicium Arnoldi primum.
V. ſ. Secundum, tertium, quartum, quintum. Concluſio.
X. Præoccupatio: nulli ſe errori patrocinari velle, eliſa.
XI. Utrum omnia incerta ſint, quæ de hæreſi diſputata hactenus fuerunt?
XII. In N. T. Hæreſin perpetuo uſu involvere errorem intellectus.
XIII. De hæretico minorem eſſe difficultatem.
XIV. Arnoldi ſententia, hæreſin in N. T. notare apoſtaſiam â fide.
XV. Oſtenditur ejus abſurditas.
XVI. Objectio, quod Gal V. recenſeantur mera carnis & voluntatis opera.
XVII. Reſpondetur, intellectus errores parvi faciendos non eſſe.
XVIII. Praxin eſſe vel operum vel totius Chriſtianiſmi.
XIX. Imprimis fidei roborandæ
XX. Etiam errores intellectus eſſe vitia carnis.
XXI. Dicta in compendium contrahuntur.
XXII. Exceptio, abuſum tantum hæretificandi caſtigari, eliditur.
XXIII. Ad alia argumenta Arnoldi tranſitur.
XXIV. Utpote non poſſe ægre ferri, ſi ſuam ſententiam proponat. Reſpondetur ex Sir. VIII. 11
XXV. Denuo quædam præjudicia pro Arnoldo militantia adferuntur.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853858293/phys_0109
DFG

XXVI. Ad quæ reſpondetur.
XXVII. Argumentum Arnoldi, ex uſu vocis hæreſeos, Apoſtolis proprio.
XXVIII. Ad quod reſpondetur.
XXIX. Loca ab Arnoldo ſpeciatim conſiderantur, inprimis Gal. V. 20.
XXX. Ad monſtroſam ex h. l. conſequentiam reſpondetur.
XXXI. ſ. Locus II. Petr. II. 1. ſ. ad eundem finem adjectus conſideratur.
XXXV. Argumentum Arnoldi contra hæreſin theoreticam ex fundamento ſalutis.
XXXVI. Reſpondetur, ſub laxo hoc fund. omnes in mundo religiones, immo ipſos Judæos latere poſſe.
XXXVII. Admirabiles Arnoldi ex hoc fundamento concluſiones.
XXXVIII. Seqq. ad quas reſpondetur.
XLI. Imprimis excutitur locus II. Petr. II. 1. ſ. eumque errori theoretico non obſtare oſtenditur.
XLII. Ea occaſione quæſtio ventilatur, qua manſvetudine tractari hæretici debeant?
XLIII. Acceditur ad arg. Arnoldi tertium, ſummæ antiquitatis pro ipſo conſenſum.
XLIV. Generaliter ad hunc conſenſum reſpondetur.
XLV. ſ. Specialiter ℟. ad ea, quæ ex Ignatio oppoſita ſunt.
XLVII. ſ. Ad ea, quæ ex Irenæo, oſtenditur, eos noſtris partibus evidenter patrocinari.
XLIX. Ad concluſionem Arnoldi in hoc argumento reſpondetur.
L. Ultimum Arnoldi arg. proponitur, ab hæreticis Apoſtolis coævis deductum.
LI. ſ. Reſpondetur ad omnes ſpeciatim.
LIV. Concluditur.

COROL-

COROLLARIUM
â
Respondente adjectum.



Odofredus Arnoldus in Historiæ Eccles. Hæret. Sec. XVII. cap. VI. §. IX. de patriæ qvondam meæ celeberrimo optimeqve merito Doctore, *B. Daniele Cramero*, seqventem historiam enarrat. Es hat D. Daniel Cramer unter andern dieses wider Arnd. behaupten wollen: **Daß die wahre Erkändtniß Christi nicht alsobald desselben Nachfolge mit sich bringe.** Worauff Arnd gar bescheidentlich geantwortet; wie dann dieses ohne dem ein Grund-Irrthum der falschen orthodoxie ist / dabey er diese nachdenckliche Weissagung gesetzet hat: es wird einmahl die Zeit kommen / daß die teutschen Universitäten deßwegen angeklaget werden / daß sie die höchste und seeligmachende Gabe der Erkändtniß Christi ohn sein exempel gelehret haben. Allegat eam in rem epistolam im außführlichen und gründlichen Bericht vom wahren Christenthum. Libellus hic, ad qvem provocat, antehac bis in lucem editus est, semel Lünæburgi, dein Rostochii. Ante qvinqvennium vero Anonymi cujusdam cura Lipsiæ denuò cum variis additionibus prodiit sub titulo: *Apologetica Arndiana*, das ist Schutz-Brieffe / zur Christlichen Ehren-Rettung des Geistreichen Theologi, Herren Johann Arnds / aus seinen hinterlassenen Brieffen / Uhrkunden und anderen Schrifften und Testimoniis zusammen getragen /

tragen / Leipzig auff Kosten etlicher guter Freunde / anno 1706. Continentur in eo varia judicia de decantato *Arndii* libro : vom wahren Christenthum; quorum pleraque eundem ab omni doctrinæ nævo liberant, non nulla vero, imprimis qvæ recentissimæ editioni adjecta sunt, quibusdam cautelis lectorem muniunt. Existimat vero *Arnoldus*, totius mundi censor, sese in *Arndio* reperisse, non quod pueri in faba, vaticinium nempe propheticum: fore, ut aliqvando Academiæ Germanicæ (quod jam *Arndii* tempore fecerit *Cramerus*) fundamentalem illum errorem, quod vera Christi notitia sine ejus imitatione consistere possit, sint defensuræ. Qvod hodie nempe ipsa experientia sit impletum. Scripserat vero D. *Cramerus* ad Augustum Ducem Brunsvicensem & Lüneburgensem, Principem vere Augustum, misso qvodam libello, de quo judicium *Arndii* exquirebat, Apol. Arnd. p. 62. Respondet *Arndius* p. 63. apparere ex Disputatione, *Cramerum putare, agnitionem Christi veram non parere illico imitationem Christi*, atqve hac in re eundem falli. Cum locum, unde hæc ex *Cramero* excerpta sunt, non consignet vel *Augustus* vel *Arndius*, quorum ille *libellum*, hic vero disputationem vocat, & vero *Cramerus* innumeros fere & libros & disputationes scripserit, quorum qualiscunque designatio in *Wittenii* Biographia comparet, & plerique horum ne quidem haberi amplius & investigari queant, qua occasione id scripserit *Cramerus*, in quo falli eundem decernit *Arndius*, ne conjectura quidem assequi licet. Interea quam præcipiti judicio sententiam *Cramerianam* impugnet *Arndius*, argumentum eidem ab illo oppositum coarguit. *Agnitio Christi*, ait, *tanqvam donum arbor est, imitatio autem fructus.* Qvid enim inde consequitur? quid aliud, quam quemadmodum arbor veracissima arbor esse potest, quæ fructum tamen non ferat: ita

ita & agnitio esse Christi, quæ imitatione tamen Christi destituitur. Arbor, ut vera sit arbor, non æstimatur ex fructu, sed ex facultate & virtute ferendi fructum, nisi impedimentum interveniat. Ita notitia Christi ut vera sit notitia, non æstimatur ex imitatione Christi, sed ex facultate & virtute imitandi Christum, nisi quidpiam interveniat & impediat. Et qvemadmodum arbor non desinit esse vera arbor, quanquam fructum non in uno statim momento integrum producat, sed per gradus eo deveniat, immaturitatem fructus ad majorem successive maturitatem provehendo: ita notitia Christi notitia vera esse non desinit, qvanquam imitationem uno momento non efficiat, sed primo sobrietatem tantum, dein justitiam, tum patientiam, denique virtutes reliqvas omnes imitetur. Et sicut decerpi ab arbore fructus & arbor tamen vera arbor manere potest, quia non potest ab arbore decerpi facultas ferendi fructum; ita privari omni imitatione Christi notitia & notitia tamen Christi vera manere; quia non potest illa notitia facultate privari imitationem Christi iterum producendi. Denique ut per figuram loqvendo vera arbor non est, qvæ fructu destituitur, quanquam extra figuram loquendo verissima arbor sit, quippe omnibus partibus arboris essentialibus cum potentia producendi fructus instructa: ita per figuram ἐμφάσεως loquendo vera in ipso effectu fructuque notitia non est, qvæ imitatione Christi tanqvam fructu destituitur, verissima tamen est manetque notitia extra figuram, quippe omni eo, quod ad notitiam qua talem requiritur, una cum divina virtute notitiam, nisi impediretur, producendi instructa. Qvam pulchrè igitur sibimetipsi, *Cramerum* falsi judicii arguenti, quamqve appositè per adductum ab ipso simile ipse respondet *Arndius*? Quod vero prophetam etiam agit *Arndius*, vaticinaturq; : *veniet aliqvando tempus, quo Academiæ Ger-*

maniæ hoc nomine accuſabuntur, qvod donum illud ſummum & ſalvificum ſine exemplo docuerint: tum dicendum eſt, nondum accuſari poſſe Academias Germaniæ, qvod doceant, donum illud ſalvificum notitiæ Chriſti ſine exemplo. Quis enim Academicorum unquam ita docuit, aut docet etiamnum notitiam Chriſti, ut exempli ejus imitandi obliviſcatur? Qvis docuit aut docet duo iſta non debere eſſe inſolubili vinculo connexa? Eqvidem qvi notitiam Chriſti docet, aliqvando in docendo ſeponere, non in praxi excludere ejus imitationem poteſt: ſicut & imitationem Chriſti exemplo *Arndii* docere poteſt, ut tamen ſeponat, non vero excludat notitiam. Si vero ſimul docetur, aliqvando a vera notitia, cum eo majori cognoſcentis damnatione, abeſſe exempli Chriſti imitationem, tum id neqve novum eſt & prophetico ſpiritu zeloqve dignum, neq; ab ipſa Scripturæ loqvendi ratione alienum, qvippe qvæ teſtatur, veritatem cognitam poſſe in effectu converti in mendacium & conſiſtere cum mendacio & fœda vitæ impuritate, Rom. II. v. 20. 21. 25. 26. & notitiam divinæ juſtitiæ ſtare poſſe cum peccatis morte dignis, Rom. I. v. 32. & ſervum veram habere voluntatis heri ſui notitiam & tamen ſecundum eandem non facere. Luc. XII. 47. Hocne eſt error in fundamento, blaſphemator verborum Chriſti, *Arnolde*? Erret in fundamento, qui negat, ex immutabili DEI voluntate & ſub pœna æternæ damnationis notitiam Chriſti veram cum ejus imitatione conjunctam eſſe debere: non vero, qvi negat, freqventer veram juſtitiæ notitiam ad majorem hominis damnationem cum ſumma injuſtitia & contemptu exempli Chriſti eſſe conjunctam. Rom. II. 15. 18. ſq. Sed nempe ejusmodi ſpectris & idolis, ac ſi ab orthodoxis à notitia Chriſti officium debitumque ſub æternæ damnationis pœna eundem imitandi excluderetur, in fanatico Pietiſmo continendi ejus profeſſores fuerunt, & fundamentalis

talis erroris ii coarguendi, qui docent, veram voluntatis divinæ notitiam habere posse, qui vel maxime eandem non faciant & eo ipso sibi ipsis accumulent iram in die iræ & manifestationis justi judicii DEI. Rom. II. v. 5. Justum enim est judicium, si quis voluntatem Domini vere sciat, & tamen non faciat, ut cædatur plagis multis, Luc. XII. 47. Neque vero majoris momenti est, quod adversus *D. Cramerum* ipse *Arndius* in altera, quam ad Augustum scripsit, epistola producit, cum ait: *non assecutus est Cramerus mentem sententiæ elegantissimæ Divi Bernhardi: Christum sequendo citius apprehendes, quam legendo. Et postea: consideret cordatus, an Christus tantum legendo possit prehendi? Si enim scimus, Christum justitiam nostram esse, sapientiam, redemptionem, omnino adhibenda sunt exercitia veræ fidei*: (ubi vero hoc unquam negavit *Cramerus*, imo quis etiam hominum maxime impiorum hoc inficietur? Hoc enim ipso impii sunt & damnatione digni, quia verissime noverunt, Christum ipsorum esse justitiam & tamen exercitia veræ notitiæ non adhibent. Sed pergat Arndius) *Si intelligimus, Christum nihil esse nisi charitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, certe non legendo hæc quispiam apprehendet Christum, sed amando Christi exemplum & gustando suavissimam ejus dilectionem, & amplectendo justitiam ejus, & applicando & exercendo in fide, quæ Christus mandavit & promisit.* Sed qvis non videt, confundi ab *Arndio* apprehensionem intellectus, ex qua veritas notitiæ profluit, & apprehensionem voluntatis ipsiusq; operis, ex qua amor & justitia profluit? Agricola animo apprehendit, verissimeque novit, arandum & sulcandum esse agrum, non tamen aratur & sulcatur ager, nisi & manu apprehendat aratrum & opus perficiat. Impius vere intelligit animo & apprehendit verissime intellectu, Christum esse charitatem, humanitatem, mansvetudinem,

patientiam, non tamen charitas, humanitas, manſvetudo & patientia, voluntate apprehenditur, niſi in exercitium ea deducat. Quinimo voluntate apprehendere illa & exercere non poſſet, niſi veriſſimam eorum notitiam haberet. Quemadmodum agricola aratrum ad arandum apprehendere non poteſt, niſi antea apprehendat intellectu, quomodo ſit arandum. Et quomodo Chriſtianus, rogo te, vel amare Chriſtum, vel guſtare ejus dilectionem, vel amplecti juſtitiam vel applicare & exercere in fide mandata & promiſſa Chriſti poteſt, niſi horum omnium veram ante habeat notitiam? Hanc niſi habeat, aut ſi habeat falſam & fucatam, omnis dilectio, juſtitia & obedientia larva tantum erit harum virtutum, nec ulla earum virtutis nomine erit digna. Nec vero *Cramerus* noſter, de Eccleſiis Sedinenſibus non minus quam *Arndius* de iis, quæ fidei ipſius commiſſæ fuerunt, præclariſſime meritus, unquam negavit, apprehendi debere ipſo facto & exercitio dilectionem, juſtitiam & obedientiam Chriſti, ſed hoc tantum negavit, poſſe virtutes illas intellectu & notitia, eaque vera, non apprehendi, niſi ſimul apprehendantur applicatione. Cum itaque quærit *Arnoldus: an Chriſtus tantum legendo poſſit apprehendi?* & utique intellectu. Legendo enim poteſt cognoſcere id, quod legit, per gratiam, verbo lecto perpetuo aſſiſtentem. Sed tantum legendo & quousque in legendo ſubſiſtit, neque ulterius progreditur, non apprehendit Chriſtum voluntate, applicatione, obedientia. Quod ſi cum *Arndio* dixeris: Chriſtus nihil eſt, niſi charitas: Ergo apprehendi non poteſt ſine charitate. Quis enim ignem apprehendere poteſt ſine calore, cum ignis nihil ſit quam calor, tum reſpondetur: at faber ferrarius apprehendit intellectu ignem & calorem, præterquam quod ipſe vel ligneus ſit vel calidus. Si dixeris: Chriſti apprehenſio, quæ ſolo intellectu non voluntate & amore atque obſe-

obsequio Christum apprehendit, non est vera apprehensio Theologice, quia scriptura & adeo etiam Ecclesia, fidelis S. filia, plus ad veram notitiam requirit, quam meram intellectus apprehensionem, tum respondetur: si veram Theologice notitiam voces, quæ omne id in sese complectitur, qvod Scriptura ad eandem, sive quoad formam notitiæ, seu qvoad ejus effectum, reqvirit, tum & *Cramerus* concessit, notitiam Christi sine ejus amore non esse veram, aqve Scriptura intentam notitiam. Et sic nec pater veram notitiam officii sui, qvod castigare malitiam filii sui debeat, habebit, si castigationem omittat, qvia hæc ei divinitus in Scriptura præcepta est. Qvid itaqve in *Cramero* desideret amplius *Arndius*? Postremò qvod subjectum ab *Arndio* suspirium concernit: *ah vereor, ne multi magni Theologi minus habeant de Christo, qvam habere putantur!* si de *Cramero* nostro, ut ex connexione suspicari qvis haud vane posset, id intelligit, qvam indigna tanto Theologo, nil nisi pietatem professo, cujus criterium est: ὁ λογίζεσθω τὸ καλὸν, hæc esset suspicio? Si vero tantum ad pietatem incentivum esse persvasus fuit, si doceatur, veram Christi notitiam ab ejus imitatione esse inseparabilem: credine potest, omnes huic sententiæ adstipulantes, plus habere de Christo, qvam habere putentur? *Nolite judicare, ne judicemini! Nolite condemnare, ne condemnemini.* Luc. VI. v. 37. Jam quæ est ista ex insipido Pietismo propullulans *Arnoldi* persvasio, doctrinam Cramerianam, qvæ negat, cum verâ Christi notitiâ semper conjunctam esse Christi imitationem, errorem esse falsæ orthodoxiæ? Qvo enim id unqvam argumento aut indicio saltem comprobabit? Si non datur vera Christi notitia ante ejusdem imitationem, ergo qvamprimum aliqvam veræ notitiæ partem, qvæ utiqve vera notitia erit, homo comprehendet, perfectè imitabitur Christum, qvippe causa id operante, neqve imita-

imitatio Christi successive & per gradus in homine perficietur. Aut certè gradus notitiæ, qvæ imitationem Christi efficient, falsæ erunt notitiæ, exqve iis imitatio Christi producetur. Credoqve, per innumeras id genus falsas notitias, in toto Historiæ Hæreticæ opere miseris libri adoratoribus propinatas, Christi imitationem efficere velle *Arnoldum*. Qva vero de re fusius nuper egit Præses meus. Videndi interea de *Arndianis* scriptis cum judicium Celeberrimi, deqꝫ Ecclesia nostra longe meritissimi Doctoris, *Wernsdorffii*, illatum Apologeticis Arndianis; tum Epistola amica de scriptis Arndianis, incomparabili cura pro Ecclesiarum suarum orthodoxia invigilantis Præsulis, *Doctoris Joh. Gottlib Stolzii*. Est in manibus Domini Præsidis mei Epistola manuscripta, à Doctore *Ægidio Hunnio* Altenburgo ad Doctorem *Gerhardum* exarata, & ad hanc hujus responsum, Anno MDCXXIX. scriptum, in qvo qvidem variis modis Fanaticismos Weigelianos & Enthusiasmos, *Arndii* libris ab *Hunnio* objectos, excusat, non tamen negat, ea ex nimio *Arndii* erga *Paracelsum* & *Weigelium* amore profluxisse. Qvare & epistolam concludit: *fateor, me hoc potissimum consilio libros scholæ Eusebianæ, dubio procul R. V. E. visos, scripsisse, ut ostenderem, ex Scripturis suppetere & ὀρμητήρια ad pietatis studium & certam ejus regulam, si vel maxime à Theophrasto & Weigelio in hoc genere nihil emendicemus.* Sed hæc hactenus. Mihi vero nemo vitio vertet, patriæ me meæ Doctorem, honestam in tota Ecclesia Lutherana famam, dum viveret, promeritum, adversus universalem omnium doctorum Lutheranorum sycophantam ex justo erga optimam Patriam amore vindicasse.

(o)

Ad

Ad

Nobilissimum & Clariss. Dominum RESPONDENTEM.

UT *ad seriam rerum sacrarum notitiam, cum Theologorum scholas frequentando, tum de iis, quæ intra animum Tuum legendo audiendoque reposuisti, cum commilitonibus disserendo, singulari industria & contentione grassaris, Andreæ optime ita in ea quoque nunc Theologiæ nostræ parte, quæ hodie universi Christianismi, prout in sacratissimis Scripturis ea nobis commendata sunt, fundamenta concutit & labefactat, diligentiam Tuam & judicium exercere aladboras. Nec enim ignoras, quantæ hodie nceessitatis sit, monstrum illud novæ Theologiæ, quod ex unius alteriusqve commendatione magnam eqvidem præsentis seculi, inqve eo doctorum, partem, & sub singularis qvidem sanctitatis fuco occupavit, curatiori oculo intueri, & sub examen ad Divini verbi regulam revocare. Faxit DEus, ut ubi Divina annuente providentia in ministerium ipsius qvondam fueris allectus, multorum animas ab hoc veneno liberes & pietatem plantes, DEI & sanctitati & voluntati ex asse convenientem!*

Scrib. XIIX. Septembr.
Ao. MDCCXI.

JO. FECHT, D.
Disputationis Præses.

GRatulor ANDREÆ! Specimen laudabile famæ.
Omni Te DOMINUS prosperitate beet.

Prolixiori affectu qvam stylo scr.

Z. GRAPIUS, D.

Nobilissimo atqve Doctissimo Domino
RESPONDENTI
S. P. P.

ALterum nunc apud nos annum agis, præstantissime Domine Andreæ, non otio ac comessationibus nobile tempus academiis, ut perversè a nonnullis fieri solet, tribuendo, sed totum Temet studiis Theologum exornantibus, quanta potuisti diligentia, consecrando. Testari sane possum, tam in Collegio cursum Theologicum exhibente, quam in eo, quod ad libros Ecclesiæ Nostræ symbolicos declarandos directum est, Auditorem Te meum fuisse & esse sedulum, non ad audiendum solum proposita, sed & ad resolvendum quæsita promptum ac alacrem. DEum itaqve T. O. Maximum, ut in probe cepto studiorum cursu Temet conservare, omnibusque bonis tam Teipsum

psum, quam ampliſſimum Dominum Parentem totamque familiam exhilarare velit, animitus precor ac oro. Vale! Scr. Roſt. A. 1711. d. 18. Sept.

Hinricus Aſcanius **Engelcken.**
S. S. Theol. D. ac P. P.

So zeucht DICH auch die Zeit mit Ehren zur Catheder
Und zeiget / was DEIN Fleiß bißhero außgericht't;
GOTT halte den bey DIR! und ſchaffe daß ein jeder
Erkenne wie es DIR an keinem Schweiß gebricht.
Es müſſen DEINE That die plauderhafften Schwärmer
Zu DEINEN höchſten Ruhm und ihrer Schande ſeh'n /
Auch finden / daß ihr Zeug werd allzeit ſchwach und ärmer
Ja eh' man es vermeint zu Grunde müſſe gehn.
DU aber wirſt dereinſt den Zweck der Ehren finden /
DEIN Ketzer-Machen ſoll ein reiner Eyffer ſeyn

Und DEIN Bemühen muß ein grüner Laurus binden/
Da DEIN gelehrter Fuß geht zum Parnasso ein.

Dieß wünschet seinem Wehrtesten Freunde und sehr fleißigen Auditori bey abermahl rühmlichst-abgelegter Probe und diesem eruditen Specimine,

J. Joach. Weidener, D.

NOn opus esse verbis, ubi rerum adsunt testimonia, tritum eloqvitur adagium. Prolixo hinc verborum apparatu supersedere possum, Nobilissime, atqve Doctissime DN. ANDREÆ! *in collaudandis virtutibus tuis elegantissimis, qvæ sua se venustate satis commendant. Imprimis dum Virum Te præstare, ingeniique rariores dotes in publicam proferre lucem nullus dubitas, nemo non videt, ad altiora optimos tuos conatus tendere, imo Parnassi apicem concitato Te cursu petere. Sub umbone enim Celeberrimi nostri Senioris, cujus πολιότητι Antiquus dierum ex alto benedicat! Indifferentistarum turmam aggredi, venenata illorum tela masculè retundere, τὰς ἀντιλέγοντας in fugam conjicere studes. Non deterreris illa, quæ in adamata Patria tua exarsit, belli flamma, imo magis potius ad gerendum bella Domini exstimularis. Age ergò! feliciter cathedram conscende academicam! Ostende Patronis, Præceptoribus, Amicis, tuas, quas sedulæ instar apis ex variis diligentissimè frequentatis Collegiis collegisti, eruditionis divitias! Monstra Fanaticorum colluvioni, quam periculosis faveant erroribus, quam digni*

digni sint, qui ab æquis rerum æstimatoribus cane pejus ac angue odio habeantur! Quantas rationes reddere teneantur DEO, justo Judici, ob infinitas doctrinarum corruptelas, ob innumerabilia, quæ infirmis præbent, scandala, seductionumque species! Exhilara Parentes amantissimos, cognatos mellitissimos, qui sibi Filium optimæ spei, Consanguineum exoptatum in sinu gratulantur! Precor interim DEum omnipotentem, velit Spiritus sui sancti gratia cunctos tuos labores sublevare, quo studiis tuis, haud vulgari hactenus fervore continuatis, majus indies pondus accedat, atqve incrementum, sicqve tandem vas DEI electum evadas.

Ita ex animo vovet

Herm. Christoph. Engelcken *D.*



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853858293/phys_0124
DFG

nplissimum Dominum Parentem totamque
arare velit, animitus precor ac oro. Vale!
r. d. 18. Sept.

Himricus Ascanius **Engelcken.**
S. S. Theol. D. ac P. P.

---

ucht DICH auch die Zeit mit Eh-
ren zur Catheder
nd zeiget / was DEIN Fleiß biß-
hero außgericht't;
lte den bey DIR! und schaffe daß
ein jeder
ne wie es DIR an keinem Schweiß
gebricht.
DEINE That die plauderhafften
Schwärmer
EINEN höchsten Ruhm und ihrer
Schande seh'n /
n / daß ihr Zeug werd allzeit schwach
und ärmer
man es vermeint zu Grunde müsse
gehn.
irst dereinst den Zweck der Ehren
finden /
N Ketzer-Machen soll ein reiner
Eyffer seyn

Und